De canone decem oratorum Atticorum quaestiones

Julius Brzoska

AUGUSTO REIFFERSCHEID

SACRUM

Canonem[1]) aliquando constitutum esse oratorum Atticorum gravissimis veterum testimoniis affatim comprobatum est, neque minus constat comprehensos esse eo canone hos decem Antiphontem Andocidem Lysiam Isocratem Isaeum Aeschinem Demosthenem Hyperidem Lycurgum Dinarchum.[2]) de quo cum multae inde a Ruhnkenio falsae inveteraverint opiniones, rectam tandem commonstravit viam, qua maiore spe et successu, quam adhuc contigit, progrediamur, Augustus Reifferscheid, praeceptor inlustrissimus, qui primus Pergamenam canonis originem agnovit eamque idoneis probari posse argumentis cum privatim mihi

---

1) de vocis κανὼν usu adeas Georgium Steffen, de canone qui dicitur Aristophanis et Aristarchi, diss. Lips. 1876 p. 12 n. 7; cuius haec repeto verba: ‚κανὼν vox, cuius propria est notio normae fabrorum, translata quamlibet significat regulam. itaque praeceptum quoque denotat, quo via artis vel disciplinae colendae datur, velut regulae grammaticae, ad quas locutio dirigatur oportet, dicuntur κανόνες . . . . postea (ante saec. IV p. Ch. n.) scriptores ecclesiastici sacrorum librorum catalogum, qui saeculis p. Ch. n. primis definitus non erat, κανόνα appellabant . . . . contra apud scriptores veteres κανὼν semper est norma vel regula neque unquam ea vox . . . . ita usurpata est, ut vis inesset catalogi.' nos illo vocabulo quotienscumque infra utemur, cum haec nostra aetate invaluerit significatio, censum scriptorum imitatione dignorum intellegi volumus.

2) testimoniorum copiam diligentissime conlegit Ed. Meier, comment. quarta de Andocidis quae vulgo fertur oratione contra Alcibiadem, Hal. 1837/1838 p. 3 sqq. = Opusc. I 120 sqq.

indicavit tum palam professus est.[1]) eodem duce et auspice benevolentissimo accuratius in rem inquirere quaestionemque ab aliis aut incohatam aut infeliciter tractatam ad certum finem perducere studui. quodsi aequis iudicibus argumentandi meam rationem probavero, satis magnum laboris fructum percepisse mihi videbor.

---

[1]) in oratione ad natal. aug. imp. ac reg. celebr. habita (ind. schol. Vratisl. 1881/1882) p. 5: ,Es laesst sich beinahe bis zur Evidenz nachweisen, dass von Pergamon jene aesthetischen Urtheile ueber die athenischen Meister der Beredsamkeit ausgegangen sind, die in der alten Welt fast canonisches Ansehn genossen.'

Pars I.

1.

Quaestionis historia et fundamentum.

Circumspicienti, unde disputationis exordium sumam, haec mihi videbatur commodissima ratio, ut, quo dilucidius quaestionis finis perspiciatur, praemissa succincta quaestionis historia, in capite primo fundamenta ponam, quibus tota innitatur argumentatio, paucis absoluturus, quid sit canon quemque ad finem constitutus.

Atque primus Ruhnken[1]) hanc quaestionem movit, qui argutius quam verius ut ceterorum in qualibet praeter philosophos scientia praecipuorum virorum, sic oratorum ordinem ab Aristophane et Aristarcho grammaticis Alexandrinis confectum esse contendit; cuius sententiae, quam temporum diuturnitate quasi consecratam adhuc plerique amplectuntur, astipulati sunt G. Heyne[2]) F. A. Wolf[3]) F. Schoell[4]) ex parte F. G. Kiessling[5]), deinde qui de bibliothecis Alexandrinis scripserunt, Parthey[6])

---

[1]) hist. crit. orat. Graec. praemissa editioni Rutilii a Ruhnkenio recensae et a Frotschero locupletatae, Lips. 1841 p. 59 sqq.

[2]) de genio saec. Ptol., Opusc. I 102.

[3]) prolegg. ad Hom. p. CXC (cf. p. CCLVIII); Encycl. d. Alt. Wiss. ed. Guertler, Lips. 1831 p. 19; Darstellung d. Alt. Wiss. ed. Hoffmann, Lips. 1833 p. 13.

[4]) GLG II 107 sqq. ed. Pinder.

[5]) de Hyperide orat. Att. comment. I (praef. ad edit. Lycurg. fragm., Hal. 1847 p. 129 sqq.).

[6]) das alex. Museum, Berol. 1838 p. 122 sqq.

Klippel[1]) Matter[2]), denique ne quem praetermittam, Graefenhan[3]). dubitationes primus movit Wyttenbach[4]), qui ‚neminem veterum hunc catalogum, qualis ab Aristophane et Aristarcho confectus esset, nobis servasse aut hos diserte auctores catalogi prodidisse‘ adnotavit optimeque ‚duosviros illos non nisi poetarum censum habuisse‘ ex Quintiliano perspexit; at idem, Ruhnkenii opinatione mirum in modum oblectatus, credidit nihilominus ‚fuisse antiquitus auctorum canonem ab Aristophane et Aristarcho confectum, sed eundem sensim ita auctum et mutatum a sequentibus grammaticis, ut quid illorum duumvirorum et quid cuiusque sequentium esset, non amplius appareret.‘ praefracte solutae orationis scriptores ab Aristophane et Aristarcho in ullum ordinem redactos esse negaverunt Bernhardy[5]) C. F. Ranke[6]) Ed. Meier[7]) Bergk[8]) Steffen[9]) Hampe[10]), qui tamen omnes poetarum canonem vel censum ab his compositum esse plus minusve concedunt. Nauck[11]) canonis Alexandrini vix umbram nos habere antiquitatis fide suffultam contendit C. Dilthey[12]) canonem qualemcumque omnino respuit tantumque de poetis librum ab Aristophane et Aristarcho confectum esse statuit, in quem praestantium poetarum generibus seiunctis iudicia de unoquoque contulissent. Didericus denique Volkmann ab ipso Callimacho classicos scriptores recensos esse comprobare studet[13]). qui canonem decem oratorum Alexandriae compositum esse negant, improbata Rankii de canone Athenis quasi sponte paullatim exorto coniectura in Meieri

[1]) ueber das alex. Museum, Gotting. 1838 p. 317 sqq.

[2]) essai historique sur l'école d'Alex., Paris. et Lips. 1840.[2]

[3]) Gesch. der klass. Philol. I 375. 395. II 5. 11. 31. 35. 185 sqq. (cf. Steffen l. l. p. 15). III 344. 406.

[4]) in vita Ruhnkenii p. 144 sqq.; adnot. p. 286 sqq.

[5]) wiss. Syntax der griech. Spr., Berol. 1829 p. 31 n. 55; GLG I 183[3] sqq. 180 sq.

[6]) de Aristoph. vita in edit. Thiersch., Lips. 1830 p. CIV (= Rutil. ed. Ruhnken-Frotscher p. 66 sqq.).

[7]) Andoc. IV = Opusc. I 120 sqq.

[8]) GLG I 279—291.

[9]) loco supra laudato; dissertationis summa legitur p. 54 sq.

[10]) ueber den sog. Kanon der Alexandriner, progr. Javor. 1877.

[11]) Aristoph. Byz. fragm. p. 67 sq.

[12]) de Callim. Cydippa p. 4 n. 3.

[13]) de Suid. biogr., Bonn. 1861 p. 26 sqq.; cf. W. Studemund in Herm. vol. II 448: ‚die Dekas der Redner gehoert wie so viele verwandte Bestrebungen in die Epoche des Callimachus‘.

plerumque abeunt partes[1]), qui Caecilium rhetorem Calactinum decadis auctorem fuisse evincere studuit. novissimo demum tempore Meieri argumenta impugnavit Hampe, qui quidem ipse a Didymo Chalcentero oratores Atticos in denarium numerum esse relatos sibi persuasit; idem eodem tempore sensit R. Ballheimer[2]), cui denarius numerus oratorum, in Didymi commentariis primum adhibitus, Dionysio Didymi aequali ignotus, Caecilio minori natu acceptus videtur fuisse. hi quidem viri in re tam lubrica et tot tantisque dubitationibus obnoxia non mirum est, quod diversissimas secuti sunt opiniones. quarum cum nulla nobis satis sit probata, priusquam ad singulas deinceps refutandas et diluendas accedamus, fundamenta ponenda sunt, quibus tota constituta est dissertatio.

Atque primum quidem oratorum canonem delectum esse, etsi per se patet in tanto oratorum Atticorum numero, abunde insuper comprobatum est a scriptoribus, ut a Quintiliano (X 1, 45. 57. 80. 104) et ab Hermogene (II 397. 410 sq. 416 sq. 420 Sp.), quorum prior Demetrium Phalereum, posterior alterum Antiphontem et Critiam apertis verbis a decade distinguunt. fuerunt quidem oratores Attici, qui aliis digni viderentur esse, quos oblivioni eriperent, multique viri docti, quibus aut displicebat decas aut parum multos complectebatur oratores, numerum denarium transgredi non verebantur. sed tamen ‚hoc ordine, quocumque demum tempore conditus est, illos decem neque alios quosquam comprehensos esse pro incontestato licebit haberi‘, cum ‚neque aut praeter hos alius quisquam in probatorum oratorum canona a quoquam tradatur esse relatus, neque omnino causae quicquam sit, cur canona esse aliquando immutatum statuamus.‘[3]) iam critica opera decem illos esse electos consentaneum est.[4]) ergo hic decem oratorum canon a critico certo

---

[1]) Theoph. Burckhardt, Caecil. rhet. fragm., Basil. 1863 p. 10; Bernhardy, GLG I 578[8]; Steffen l. l. p. 47 sqq.; E. Heitz in C. O. Muelleri HLG II 313[3] n. 50 (Stuttg. 1876); Boeckh, Encycl. u. Methodol. d. philol. Wiss., Lips. 1877 p. 673; dubius haeret Blass, GB 176.| 184 sq. 193. AB I 288; dissentit a Meiero Studemund l. l.

[2]) de Photi vitis X oratt., diss. Bonn. 1877 p. 32 sq. n. 1.

[3]) Ed. Meier, Andoc. IV p. 5 sq.

[4]) idem conligas ex eo, quod unus alterve oratorum *τῶν πρώτων κεκριμένων δέκα εἷς, εἷς τῶν μετὰ Δημοσθένους ἐγκριθέντων, τῶν δέκα ῥητόρων τῶν κριθέντων* vocatur (cf. Ed. Meier ibid.).

quodam tempore est institutus. qui quem ad finem sit institutus, nunc sequitur, ut investigemus. ad efficiendum oratorem sola praecepta rhetorica non sufficere fere omnes consentiunt rhetores; praeter dicendi et scribendi diligentiam adsiduamque exercitationem summi est momenti maximaeque utilitatis imitatio (μίμησις, ζῆλος), ‚qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum similes in dicendo velimus esse' (Cornif. I 2, 3), quam ἐνέργειαν διὰ τῶν θεωρημάτων ἐκματτομένην τὸ παράδειγμα bene definit Dionysius (Anon. Schol. VII 865 W. = frg. XVIII Roessl.), qua denique ‚artis pars magna continetur' (Quint. X 2, 1; Cassiod. rhet. p. 501 H.). optima enim legendo nascitur copia cum rerum tum verborum (Cic. de or. III 39. II 60; Quint. VIII prooem. 16 sq.). multum quidem oratori confert lectio poetarum, multum historicorum et philosophorum, quamquam ‚vitandum est, ne in oratione (i. e. eloquentia) poetas nobis et historicos imitandos putemus' (Quint. X 2, 21), plurimam manifesto oratori adfert utilitatem lectio atque etiam imitatio oratorum. iam cum omnium auctorum scripta perlegere infiniti sterilisque sit operis, recteque multa magis quam multorum lectione formanda mens sit et ducendus color, hic iam pridem invaluit mos, ut qui in primis essent legendi quaeque in auctore quoque praecipua virtus esset imitatione digna (Quint. X 1, 37), inquirerent critici. hac ratione etiam oratorum canonem confectum esse nobis persuasum est, ut et docentes haberent, quos elucubrandos commendarent et ad praecepta rhetorica inlustranda et confirmanda testes adhiberent[1]), et discentes, quos sibi proponerent legendos imitandos exprimendos.[2]) quae sententia cum per se adrideat, Quintilianus omnes scrupulos ex animo evellit; de imitatione enim disserens in institutionum oratoriarum libro X 1, 76—80 hanc profecto oratorum Atticorum decadem commemorat atque, ubi quinque praestantissimorum ex decade oratorum

[1]) Cornif. IV 1, 1 sqq.; Cic. de or. III 125; de opt. gen. or. 13; Dion. H. de comp. verb. 20 p. 72; de Din. 7 p. 644; Quint. II 5, 1. 5 sqq.; Schol. ad Demosth. or. 54 § 1 (II p. 125 Tur.); Theon. prog. II 122. 72; praecipue progymnasmaticos delectum oratorum desiderasse consentaneum est; multum enim intererat, quem potissimum iuvenis imitaretur (Cic. de or. II 90).

[2]) Cic. de or. I 155. 158. 260. II 90 sqq. III 125; Brut. 285. 296. 298. 305. 322; de opt. gen. or. 13. 23; Quint. X 2, 1 sq. 1, 76—80; Syrian. in Hermog. π. ἰδ. ap. Speng. συναγ. τεχν. p. 198, 25 sqq.

summas virtutes descripsit, haec adiungit: ,neque ego in his, de quibus sum locutus, has solas virtutes, sed has praecipuas puto, nec ceteros (scil. e decade) parum fuisse magnos.' magnorum igitur oratorum decadem imitationis oratoriae ergo compositam esse procul dubio verum est. eosdem decem oratores re vera imitatione expressos esse ea docent, quae de eorum imitatoribus comperta habemus[1]), neque minus eos omnes commentariis lexicisve inlustratos esse scimus.[2]) quae cum ita sint, iam apparere puto hunc canonem esse delectum certo quodam tempore a critico institutum eundemque propositum ad imitationem. ad hanc igitur normam necesse est referamus et examinemus singulas virorum doctorum de canonis origine auctore tempore opiniones. atque de Rankii[3]) quidem sententia, quae non uno nomine omnibus viris doctis praeeunte Ed. Meiero[4]) displicuit, paucis hic absolvamus. qui illam oratorum coniunctionem ,sine doctorum virorum conatibus' i. e. ab nullo docto homine factam, sed quasi sua sponte ,inter ipsos Athenienses ortam' vult, ,quia decem oratores a Solone essent instituti;' ,doctorum virorum autem fuisse numero illi aut quos exemerant adicere aut quos receperant eximere.' attamen *συνήγοροι* quos putat ipso Clisthene videntur esse aliquanto posteriores et, quod numero illi adiungit alios esse exemptos additos alios, contra memoriae fidem pugnat; nam constans stabilisque per temporum vicissitudines canonis forma remansit. id vero ipsum post Dinarchum in numerum receptum canonem in lucem prodiisse docet. idem conligas, si, quae de more canones constituendi tradidit Quintilianus X 1, 54 inspexeris: ,Apollonius in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes neminem sui temporis in numerum redegerunt.' hunc enim morem si ad canonem decem oratorum transtuleris, decadem, cui ultimus ascriptus sit Dinarchus, a

---

[1]) praecipuo amore ac studio exprimebantur Lysias Isocrates Hyperides Demosthenes, neque tamen defuerunt, qui etiam ceteros exemplo sibi proponerent; certe sciebant, quid in Aeschine Lycurgo Isaeo potissimum esset imitandum, et ad exemplum omnium oratorum fingebantur orationes, quae saepenumero ipsis oratoribus attributae aetatem tulerunt. cf. Blass, GB 101.

[2]) Auct. prol. *τῶν στάσεων* VII 26 W.; auct. vit. Isocr. in Bait. edit. Isocr. Paneg. p. XLV; prolegg. in Aristid. – voces huius studii propriae sunt *πράττεσθαι, διαπράττεσθαι, ἀναγιγνώσκεσθαι.*

[3]) de Aristoph. vit. l. l. p. CVII sqq. = Rutil. ed. Ruhnken-Frotscher praef. p. 69 sqq.

[4]) Andoc. IV 6 sq. = Opusc. I 126 sq.

critico post Dinarchum mortuum statues esse inventam i. e. post a. 290. iam cum primus quod sciamus disertis verbis Caecilius sub Augusti aetatem vigens canonis mentionem fecerit, aut Caecilius ipse canonis auctor erat, quod voluit Meier, aut alii critici post Dinarchum et ante Caecilium florentes; quos cum Alexandrinos fuisse post Ruhnkenium plerique pro vero acceperint, age nunc neque Ruhnkenium neque Meierum verum vidisse eamus probatum.

2.

Alexandrinos non fuisse canonis auctores.

Cum multi usque ad Caecilium exstiterint viri docti Alexandrini, qui in oratores operam studiumque contulisse dicantur, nostrum est indagare, num ab uno alterove, aut, si hoc minus contigerit, num omnino ab Alexandrinis canonem constitutum esse vel constitui potuisse demonstrari possit. atque hoc primum ac potissimum tenendum est Alexandrinos grammaticos poetarum in primis fuisse studiosos, scriptores pedestres neglexisse. iam ipsis studiorum primordiis miramur profecto, quod, quis pedestres scriptores ante Callimachum ordinaverit, non comperimus, cum Zenodotum Lycophronem Alexandrum Aetolum poetarum tantum ordinem confecisse ex schol. Plaut. notissimo ipsisque Tzetzae prolegg. scholl. in Lycophr. liqueat.[1]) qui subsecutus est Callimachus redegit ille quidem etiam solutae orationis scriptores in tabulas (*πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων κτλ.*); at nugantur, qui decada oratorum Callimachum illic constituisse profitentur. neque enim omnino in tabulis canoni simile quicquam proposuit[2]): certe oratorum canonem illic non tradidit. servata enim sunt ex pinacibus fragmenta, quae Dionysium rhetorem et Prodicum, quem *οὐκ ὀρθῶς ἐν τοῖς ῥήτορσι καταλέγει*, a Callimacho oratoribus esse adnumeratos arguunt (frg. 24. 22 Schn.); accedit, quod indices aliorum praeter

[1]) Ritschl, Opusc. I 5. 123 sqq. 138—146; H. Keil ib. p. 197 sqq.; O. Schneider, Callim. II 297 sqq.; Th. Birt, das antike Buchwesen, Berol. 1882 p. 482 sqq. 163 sqq.

[2]) C. Wachsmuth, die pinakogr. Thaetigkeit des Call., in Philol. XVI 1860 p. 656. 659.

decadem oratorum maiore minoreve fide ad Callimachum referuntur;[1]) praeterea cum plus sexaginta praeter decadem oratorum Atticorum fragmenta nobis supersint (cf. edit. Tur.), veri est simillimum totidem vel etiam plurium oratorum scripta Alexandrinorum aetate exstitisse, Callimachumque, ut qui fuerit pinacographus, nisi quae prorsus lectione indigna sibi viderentur esse, omnia in tabulas rettulisse.[2]) alibi vero Callimachum de oratoribus censuram egisse nihil probat, immo consentiunt viri docti de oratoribus Callimachum *οὐδ' ἱκανὸν ὄντα κρίνειν* (Caecil. ap. Phot. cod. 265 p. 491b) breviter et multa temere egisse;[3]) videlicet non fuit eius *τῶν λόγων κρίσις*, qualem vult Ps. Long. *π. ὕψ.* 6 p. 16 J., *πολλῆς πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα* (cf. Dion. H. de adm. vi dic. Dem. 50 p. 1108), sed *ὡς ἐν παρόδῳ* Callimachus oratoribus operam dedit; eorum igitur canonem nequaquam constituit.

Sequitur Callimachi discipulus Hermippus biographus, qui ut ex fragmentis concludi licet, inter oratores de Isocrate potissimum eiusque multis discipulis egit idque saepius ita, ut exilibus *ἀναγραφαῖς* oratorum eius commentarii videantur similes fuisse (Dion. de Isaeo 1 p. 588; Hermipp. frg. 58. 70 Muell.). in oratores aestimandos certoque in numero ex elocutione reponendos tantum afuit, ut operam studiumque conferret, ut biographorum more modoque satis haberet narratiunculas fabellasque lepidas, facete dicta responsaque tradidisse.

Primi, qui quidem canones constituisse perhibeantur, sunt Aristophanes eiusque discipulus Aristarchus, qui, ut poetis

---

[1]) e. g. Aristogitonis orationum tabula ad Callimachum revocatur a Daubio, de Suid. biogr. fide, in Fleckeisenii annal. suppl. XI 1880 p. 467.

[2]) ne quis titulo operis Callimachei, quo solos *διαλάμψαντας* recensos esse indicetur, nostram opinionem perverti putet, attendat ad titulos similes subsequentium scriptorum, ut Hermippi Callimachei, Hesychii Milesii, scriptorumque ambitum consideret; quod si fecerit, non amplius dubitabit, quin *διαλαμψάντων* vocabulo multo plures quam decem illos intellegi oporteat.

[3]) cf. in primis Dion. H. de Din. 1 p. 630; Caecil. ap. Phot. l. l. praeterea Dion. de Isaeo 6 p. 594; de Din. 10 p. 651; de adm. vi dic. Dem. 13 p. 993 sq.; Harpocr. s. v. *ἐνεπίσκημμα*; deinde locos, quibus in universum pinacographi citantur Dion. de Isaeo 2 p. 588 sq.; de Din. 10—13 p. 650 sqq. 12 p. 663. 13 p. 665; ad Amm. I 4 p. 724. 726 (Blass, AB III 1 p. 240); 10 p. 736 sqq.; de adm. vi dic. Dem. 44 p. 1094 sq. 57 p. 1126; Ed. Meier, Opusc. I 89; Blass, GB 203—206; Steffen l. l. p. 5.

fere omnia impenderunt studia, ita poetarum solummodo iudices a Quintiliano vocantur, quo teste epicorum canonem constituit Aristophanes, epicorum et iambographorum Aristarchus (Quint. X 1, 46 sqq. 54. 59). ulterius si quis cum Ruhnkenio procedat atque etiam pedestrium scriptorum canones ab Aristophane et Aristarcho compositos esse statuat, nec scriptorum auctoritate quicquam iuvatur nec probabili ratione ducitur. scriptores enim hac de re nihil usquam tradunt, quod argumentum, etiamsi ex silentio est sumptum, hic valet aliquid, ubi quanta pietate posteriores critici et grammatici Aristophanis et Aristarchi iudicia coluerint, nobiscum reputaverimus;[1]) manifesta vero vestigia, quibus ducti in Ruhnkenii sententiam abeamus, desunt. philosophorum quidem canonem ipse Ruhnken non eruit, historicorum ex dubiis frustulis confinxit, unus exstat oratorum canon isque sine dubio ab Aristophanis et Aristarchi studiis alienissimus. nam Aristarchus nullum unquam scriptorem pedestrem emendandum et interpretandum suscepisse dicitur; et Aristophanes, etsi non abstinuit a scriptoribus pedestribus, oratorum studium, quantum scimus, neglexit.[2])

Quae cum ita sint, quos voluit Ruhnken Alexandrinos, auctores canonis non fuerunt; post Aristarchi vero aetatem nemo praeter Didymum reperitur grammaticus Alexandrinus, qui quandam sibi deposcat auctoritatem in hac quaestione solvenda, neque erant, qui hoc adseverarent. Didymum autem ipsum, cuius aetas fere inter a. 80 et Chr. nat. includitur,[3]) constituisse canonem contenderunt Hampe l. l. p. 15 sqq. et Ballheimer l. l. p. 32 sq. n. 1.[4]) Hampe postquam Meieri de Caecilio canonis inventore opinionem impugnavit, haec fere adiungit: fuisse eadem, qua Caecilium, aetate Didymum Chalcenterum Aristarcheum, qui ingentem librorum molem Alexandriae servatam percensuisset

[1]) ex Aristophanis sententia Ps. Long. π. ὕψ. p. 19 Hesiodi scutum et Quint. I 1, 15 eiusdem ὑποθήκας, quamquam fuerunt alii qui genuina haec scripta esse contenderent, Hesiodo abiudicaverunt.

[2]) in libris πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας, quos quis solos in disceptationem vocet, admodum est dubium, num oratorum quoque tabulas emendaverit Aristophanes, cum eae a Callimacho semper et Pergamenis repetantur (Blass, GB 203 n. 1).

[3]) cf. E. Rohde, NRhM XXXIII p. 179 n. 1.

[4]) iam Meier, Andoc. IV p. 11 = Opusc. I 136; praef. ad Demosth. Mid. ed. Hal. 1831 p. XV Didymo canonem notum fuisse coniecit neque tamen eo processit, ut Didymum ipsum decadis inventorem fuisse adfirmaret.

atque in omnium usum publici fecisset iuris, qui tam propter diligentiam quam iudicium in omnium versaretur ore; eum inter pedestres scriptores singulari cura oratores amplexum decem (sic) libris enarrasse (Ammon. s. v. *νῆες· Δίδυμος ἐν δεκάτῳ ῥητορικῶν ὑπομνημάτων φησὶν οὕτως* sqq.) atque ita quidem, ut in septem ex his decem libris singulos deinceps tractaret oratores Demosthenem Hyperidem Aeschinem Isaeum Isocratem Lycurgum Dinarchum; iam cum Harpocrationis *λέξεις τῶν ι' ῥητόρων* maximam partem ex Didymi commentariis viderentur fluxisse, proclivem esse coniecturam reliquis tribus libris Antiphontis Andocidis Lysiae orationes Didymum esse commentatum (M. Schmidt, Didym. frg. p. 310; Steffen p. 50 n. 33); quae cum ita essent, multo esse veri similius Caecilium iam scripto Didymi de decem oratoribus opere suum *περὶ χαρακτῆρος τῶν δέκα ῥητόρων* composuisse, omnesque posteriores scriptores Didymi auctoritatem veneratos oratorum retinuisse decadem. expedita sane est via, qua procedit Hampii argumentatio, sed eadem temeraria; neque enim de decem tantum libris Didymi constat, cum ex Ammonii testimonio solum id efficiamus decem minimum libros fuisse; neque potest demonstrari Didymum praeter Demosthenem Hyperidem Aeschinem Isaeum alios oratores esse commentatum (Steffen p. 50 n. 33); quamquam conici licet etiam Isocratem Lycurgum Dinarchum commentariis Didymi enarratos esse, nulla tamen ansa datur coniecturae Antiphontem Andocidem Lysiam i. e. vetustissimos ex decade oratores eius notis esse inlustratos, alios vero oratores velut Critiam Aristogitonem Thrasymachum Polyeuctum, quorum orationes etiam inferioribus saeculis rhetoribus et grammaticis non plane erant ignotae, neglectos. destructo igitur fundamento tota corruit Hampii argumentatio. neque est omnino, cur Didymo canonem inventum ascribamus. nam fuit ille quidem acutissimus interpres eruditissimusque grammaticus, eius vero opera fere tota in poetarum interpretatione consumpta est; scripsit idem etiam in oratores commentarios, sed fragmentis eorum edocemur rhetorice oratores ab eo non esse tractatos, sed solis grammaticis historicis antiquariis notis instructos; de oratorum praestantia dignitate ordine iudicia nulla reperimus. ita quem oratoribus criticam operam impendisse nescimus, eum oratorum canonem qualemcumque invenisse vana et futtilis est coniectura. erravit igitur etiam Ballheimer, qui quamquam Didymum grammaticum esse tenuit, nihilo setius numeri denarii

eum auctorem fuisse iudicavit, quod cur a rhetore potissimum talis oratorum electio profecta esse deberet, non videret. in multo maiorem errorem delapsus est Hampe, qui Bergkio, GLG I 281 rhetorem canonis auctorem esse astipulatus (p. 15: vielleicht schwebten dem betreffenden Rhetor die zehn Redner vor etc.) non tamen est impeditus, quin Didymum, quem rhetoris nomine minime esse ornandum nemo nescit, canonis inventorem esse statueret.

Quibus de Alexandrinorum principibus peractis quid de grammaticorum Alexandrinorum studiis in universum iudicemus, non est in obscuro. poetas fere solos enarrandos elucubrandos notis variis instruendos elegerunt, scriptores pedestres neglexerunt eorumque dictionem nisi ad poetas accuratius interpretandos et commentandos non adhibuerunt. hoc idem intellegemus, si quale grammaticorum officium describatur et quomodo ipsa ars grammaticae definiatur apud veteres auctores, nobiscum reputaverimus.[1]) prae ceteris, quos plurimos de grammaticorum officio possum adferre, locis unum Ciceronis in medio ponam, qui brevissime idemque plenissime complectitur grammaticorum studia his verbis (de or. I 42): ,in grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus.'[2]) in poetis pertractandis quamquam plerique grammatici etiam iudicio et acumine utebantur, tamen illorum iudicium plerumque usque eo tantum tetendit, ut ,versus censoria quadam virgula notarent et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subditos submoverent familia'; acutissimi, quales Aristophanem et Aristarchum laudavimus, poetas ,alios in ordinem redegerunt, alios omnino exemerunt numero' (Quint. I 4, 3), cuius operae sane certa exstant vestigia. sed tamen, etiamsi nulla exstent, summa probabilitate ad Alexandrinos grammaticos poetarum canones referas; nam Alexandriae poesis eximie florebat praecipuoque gaudebat principum favore, ita ut inde a Callimacho fere omnes grammatici iidem essent poetae, velut

[1]) testimonia magna cum sollertia examinavit et explicuit C. Lehrs, de vocab. *φιλολ. γραμμ. κριτ.* p. 387 sqq., qui p. 387 rectissime haec adnotat: ,erat grammatica tunc ars interpretandi poetas neque eis temporibus, quibus incrementa cepit, in libris prosa oratione scriptis nisi tralaticium usum habebat;' cf. Quint. II 1, 4. I 8, 1 sqq.

[2]) cf. Cic. or. 72 et O. Jahn ad hunc loc.; de div. I 34. 116; Suet. de gramm. et rhet. 4

Aristophanes, Philetas Cous, Rhianus Cretensis, Eratosthenes Cyrenaicus, Apollonius Rhodius; iam poetarum plurimum interest μιμήσεως gratia poetas sibi in exemplum proponere, singulari studio eorum opera amplecti ad cognoscendas cum res fabulasque tum dictionem poeticam, comparare inter se et opera et auctores,[1]) paucos denique e numero poetarum secernere ut imitatione in primis dignos. itaque per se consentaneum est Alexandriae poetarum canones esse constitutos. — at vero unde scriptorum pedestrium canones eos confecisse comprobes? Dionysius quidem Thrax art. gramm. II p. 629 Bkk., cum sextam eamque maxime praecipuam grammaticae partem κρίσιν ποιημάτων enumerat, omissis συγγράμμασι diserte pronuntiat κρίσιν in pedestres scriptores non contulisse Alexandrinos grammaticos. adde quod ‚ab erudiendis iuvenibus orationis solutae scriptores sine dubio arcebantur' (Steffen l. l. p. 46). iam etsi extra scholas Alexandrinos cum scriptoribus pedestribus familiaritatem contraxisse libentissime largimur, cum constet fuisse qui philosophos historicos medicos geometras alios in usum vocarent, miramur tamen, quod in oratoribus legendis et pertractandis grammatici praecipue Didymo priores minimam posuerunt operam; quanti quisque orator sit aestimandus, quae in quoque virtutes laudandae, uter alteri praeferendus, quis imitatione dignissimus, inquirere ne cogitaverunt quidem Alexandrini (cf. Blass, GB 206). nimirum hoc profecto eloquentiae studiosorum et rhetorum est officium. at frustra Alexandriae oratores et rhetores quaesiveris. citatur quidem a Polybio XXVIII 19 (16), 6 Ptolomaeus quidam ῥήτωρ, qui ad Antiochum Epiphanem a. 169 legatus mittitur a Ptolomaeo Physcone, vir aliunde incognitus; neque dubium est, quin multi etiam Alexandriae fuerint legati aliqua dicendi facultate praediti; eloquentiam vero illic floruisse nec traditur nec conicere licet; etenim si eloquentia libertatis est socia et quasi alumna quaedam (Ps. Long. π. ὕψ. p. 67 sqq.), Alexandriae

---

[1]) ex argumentis ab Aristophane in tragicos poetas confectis hoc cogitur singulorum poetarum fabulas in certos ordines et classes redactas esse; de poetis ipsis in ordines digestis nihil traditur; comparantur quidem inter se tres illi tragici neque tamen, ut de iis fiat iudicium, sed ut inquiratur, num idem vel similis μῦθος ab uno alterove sit tractatus, quaque in re inter se differant. cf. Ad. Trendelenburg, grammaticorum Graecorum de arte tragica iudiciorum reliquiae, diss. Bonn. 1867.

iacuit, ubi libere loquendi locus et facultas non adfuerunt.[1]) rhetores autem, quorum opera et consilio Attici oratores dicendi exemplaria constituerentur, deerant Alexandriae.[2]) exstant enim satis certa testimonia, quibus comprobatur quod indicavit in oratione s. l. A. Reifferscheid: ‚in Pergamon wie in Kleinasien ueberhaupt standen die Studien der Rhetorik in hohem Flor, die in Alexandrien kaum beachtet wurden.' Athenaeus IV p. 184 bc quidem Ptolomaeum tradit Physconem (146—118) saevitia in viros doctos inflatum *ποιῆσαι πλήρεις τάς τε νήσους καὶ πόλεις ἀνδρῶν γραμματικῶν φιλοσόφων γεωμετρῶν μουσικῶν ζωγράφων παιδοτριβῶν τε καὶ ἰατρῶν καὶ ἄλλων πολλῶν τεχνιτῶν*, in quo ordine desunt rhetores, qui si verbis *καὶ ἄλλων πολλῶν τεχνιτῶν* continentur, vide quam exiguam habuerint auctoritatem. apprime ad hunc locum facit locus Menandri *π. ἐπιδεικτ.* III 360 Sp., ubi haec leguntur: *φασὶ γὰρ Μυτιληναίους ἐπὶ κιθαρῳδίᾳ μέγιστον φρονῆσαι, Θηβαίους δὲ ἐπὶ αὐλητικῇ, Δηλίους ἐπὶ χοροστατικῇ, ἔτι δὲ καὶ νῦν τοὺς Ἀλεξανδρέας ἐπὶ γραμματικῇ, γεωμετρίᾳ καὶ φιλοσοφίᾳ*: eadem tria genera animadvertis apud utrumque primo loco redire, rhetorum nullam fieri rationem. quin etiam cum c. 150 a. Ch. artis rhetoricae studium renasceretur, Alexandriam multo demum post migravit. ex iis enim, qui a. 150 subsecuti sunt, alios proferre nullos possumus nisi Areum Alexandrinum Strabonis aequalem et Timagenem Caecilii aetati supparem, quorum neuter ad studia rhetorica promovenda altiusque excolenda multum profecit nostramque ad quaestionem ullius est momenti, Timagenes multo maiorem sibi laudem comparavit ut historicus (Quint. X 1, 75). rhetores etiam inferioris aetatis[3]) Alexandrini vestigiis

[1]) recte Blass, GB 23: ‚an den despotischen Hoefen von Alexandrien und Antiochien war für die Beredsamkeit am wenigsten Raum.' cf. Bernhardy, GLG I 541³.

[2]) Posidonio Alexandrino Zenonis discipulo Stoico rhetorica quaedam ascribuntur scripta, quae ab eodem Suida s. v. ad Posidonium Olbiopolitam iure referuntur. Agatharchidem grammaticum et rhetorem Cnidium iniuria Gros, Philod. rhett. ed. p. XCVII rhetorem Alexandrinum ducit.

[3]) ex eorum numero hos eligo: Theones Harpocrationem Sarapionem Sopatrum Aristaenetum (?), de quibus omnibus adeas Suidam s. vv., praeterea Demetrium (Westerm., G. d. B. I 218; Gu. A. Scheurleer, de Demetrio Magnete, Lugd. Batav. 1858 p. 55. 57 sq.; E. Maass, de biographis Graecis quaestiones selectae [Kiessl.-Wilam., Philol. Unters.

rhetorum. qui in Asia vel Rhodi vel Romae florebant, insistunt. iam ut summam complectar, poetarum quidem critici erant Alexandrini, non erant oratorum; poetarum censum ut poetae poetarumque interpretes et imitatores et debebant agere et agebant, oratorum vero Atticorum canonem, cum et dicendi artis minus studiosi essent nec Atticam eloquentiam imitatione exprimerent, nec cogitabant constituere nec constituebant.

In fine huius de Alexandrinis disputationis F. G. Kiesslingii opinionem brevi subiciam examini. quod rhetores in exemplis citandis nulli oratorum delectui astricti reperiantur, sed liberius versentur atque ex Stratocle quoque Pythea Polyeucto Moerocle aliis exempla repetant, id quod secus factum sit ab Harpocratione Suida Polluce Photio, qui ultra decadis terminos non progrediantur, ea de causa Kiessling diserte contendit decadem illam Alexandriae institutam neque ab rhetorum scholis, sed a grammaticis esse profectam; Atticistas qui dicuntur decem potissimum oratores ab Alexandrinis enarratos invenisse eosque uno vinculo comprehendisse. quae coniectura quam debili constituta sit fundamento, unusquisque videt. neque enim certo iudicio confirmari potest ad Alexandrinos redire lexica illa rhetorica inferioribus saeculis composita, neque Alexandrinis soli decem illi oratores, sed fortasse plus centum noti erant, quos magis minusve in eruditionis usum convertebant;[1]) postremo fidem excedit, si, qui grammaticis visi essent notatu dignissimi, iis non potuisse non palmam deferre rhetores contenditur.

---

fasc. III] p. 37 n. 36, qui reiecta Scheurleeri opinatione hunc Demetrium cum Favorini et sodali et imitatore eundem fuisse conicit), Philostratum (Plut. Ant. 80; Westerm. l. l. 186. 188).

[1]) ipse Kiessling quadam ratione sibi adversatur, cum grammaticos in nominandis claris oratoribus fluctuasse dicit; nam inde dilucide sequitur ipsum Kiesslingium plus decem oratores Alexandrinorum doctis studiis esse comprehensos existimasse.

3.

Caecilium non fuisse canonis auctorem.

Ab Alexandrinis oratorum canonem non esse constitutum satis idoneis argumentis mihi videor comprobasse; idem iam antea multi sunt periclitati, qui tamen aut satis habebant vetera labefactasse aut nova exstruebant, quae et ipsa ruitura videntur. nam Meieri (Andoc. IV = Opusc. I 120 sqq.), quamquam in ceteris vir ille iudicio utitur cautissimo et acerrimo, hac quidem in disputatione argumenta ad persuadendum non valde sunt accommodata. quod decem oratorum census non ante Caecilium, quin etiam ne Caecilii quidem, qui primus eum commemoret, temporibus admodum percrebruerit usu, ideo a Caecilio primo eum arbitratur inventum esse. patet via, qua procedamus oportet, ut Meieri opinionem refellamus; priore enim loco examinanda sunt ea testimonia, quibus canonem ante Caecilium non fuisse notum demonstrare studet, altero de Caecilio canonis auctore est agendum. atque primum Meier protulit Panaetii[1]) testimonium, qui teste Plutarcho Demosth. 13 haec iudicavit de Demosthene: *εἴ γε τῇ περὶ τὰς ὑποθέσεις αὐτοῦ φιλοτιμίᾳ καὶ τῇ τῶν λόγων εὐγενείᾳ παρῆν ἀνδρεία τε πολεμιστήριος καὶ τὸ καθαρῶς ἕκαστα πράττειν, οὐκ ἐν τῷ κατὰ Μοιροκλέα καὶ Πολύευκτον καὶ Ὑπερείδην ἀριθμῷ τῶν ῥητόρων, ἀλλ' ἄνω μετὰ Κίμωνος καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους ἄξιος ἦν τίθεσθαι.* mira sane est haec coniunctio Demosthenis cum tribus illis viris, ,in qua nihil fere est, quod ad Demosthenem propius pertineat, nisi et temporis et sentiendi quaedam communio' (cf. Plut. l. c. 23). atque iure quodam Meier contendit Panaetium, si ei innotuisset decas illa oratorum, scripturum potius fuisse: ,Demosthenes, si praeter oratoris virtutes etiam illas reliquas habuisset, non in decadem fuisset referendus.' neque tamen necessario cogimur in Meieri abire ratiocinationem, neque ipse huic argumento nimium tribuit, quod si omnibus ex partibus esset absolutum, certe Panaetii tempore, cum *περὶ καθήκοντος* libros, unde verba videntur esse decerpta, scripsit, hoc est c. a. 142

[1]) eius aetatem inter annos 180 et 111 (100; C. Mueller, FHG III 245) solent cohibere.

canonem nondum aut Alexandriae, quo a. 144 se contulerat Scipionem legatum comitatus[1]), aut Pergami, ubi Cratetis scholis interfuerat, notum fuisse coniceremus firmoque inniteremur fundamento, in quo cetera exstrueremus.

Sed misso hoc argumento ad alterum, quod ex Demetrio Magnete ut gravius repetivit Meier, nos convertamus. Demetrius, Ciceronis aequalis Atticoque familiariter usus, in nobilissimo *περὶ ὁμωνύμων* opere de Dinarchis haec perscripsit (Dion. H. p. 631): *Δεινάρχοις δ' ἐνετύχομεν τέταρσιν, ὧν ἐστιν ὁ μὲν ἐκ τῶν ῥητόρων τῶν Ἀττικῶν;* trium deinde aliorum Dinarchorum brevem notationem excipit *χαρακτὴρ* Dinarchi accurate descriptus. ‚nonne, inquit Meier, si selectorum decem oratorum canon tum iam esset receptus, scripsisset potius *ἐκ τῶν δέκα ῥητόρων τῶν Ἀττικῶν*?' adeo non ego hoc adfirmaverim, ut contra Meierum argumentum inde desumam; mihi enim ex titulo insolito et quam debuit longiore[2]) hoc potissimum apparet Demetrio certum censum oratorum Atticorum, cui Dinarchus adnumeratus fuerit, ob oculos esse versatum, quem censum eundem cum decade oratorum Atticorum fuisse quamquam non pro certo adfirmare licet, tamen veri esse simillimum facile nobis persuademus.[3])

Nunc quoniam Meieri argumenta, quibus canonem decem oratorum ante Caecilii tempora nondum fuisse notum probare studuit, ita correximus, ut, quod de Panaetio dixit, dubitanter quidem receperimus, Demetrii verba si minus de decade, attamen de certo

---

[1]) Posidonium Stoicum iter cum Africano fecisse perperam tradit Athen. XII p. 549[de]; XIV p. 657[f]. anno 136 Alexandriam Panaetium petiisse conicit C. Mueller, FHG III 245. 251.

[2]) potuit enim solum *ὁ μὲν ῥήτωρ* dici; nullum in reliquiis a Scheurleero l. c. conlectis inveni exemplum, ubi a simplici nominativi forma in attributis recesserit sive Demetrius sive alius quis auctor indicum homonymorum a Laertio traditorum (Favorinus e Maassii l. l. p. 23 sqq. sententia ne illa quidem satis probabili, cf. H. Diels, DLZ II 1881 p. 6 sq.); e. g. p. 23: *γεγόνασι Αἰσχίναι ὀκτώ . . . . τρίτος ὁ ῥήτωρ ὁ κατὰ Δημοσθένην;* p. 29: *Ἀναξαγόραι . . . ὁ μὲν ἦν ῥήτωρ Ἰσοκράτειος;* p. 36. 55. 77. 81. 81 sq.; p. 89: inter Cratetes adfertur *δεύτερος ῥήτωρ Τραλλιανὸς Ἰσοκράτειος.*

[3]) Meier ipse p. XI = 136 non sibi videtur constare, cum titulum libri Philostratei *περὶ τῶν ζητουμένων παρὰ τοῖς ῥήτορσιν* ‚nisi quid se fefellerit, ad decem illos oratores pertinere' iudicet, quamquam hoc sane ei largior libentissime Philostrati tempore decadis usum iam multo latius patuisse.

quodam oratorum ordine, cui addictus fuerit Dinarchus, intellexerimus, restat, ut argumenta, quibus ne Caecilii quidem temporibus canonem fuisse demonstrare conatur, perlustremus. atque primum inducit Rutilium Lupum sive potius Gorgiam, cuius quattuor libros Graece scriptos in Latinum sermonem vertit Rutilius. ille Gorgias, cuius aetas inde cognoscitur, quod Athenis Ciceronis filii magister erat, exempla figurarum nulla ex Antiphonte Andocide Isocrate Isaeo Aeschine derivavit, decerpsit ex Lysia Demosthene Hyperide Lycurgo Dinarcho atque ex Lysia et Demosthene sanequam plurima, neque idem minus usus est exemplis ex Pythea Cleochare Charisio Demochare Demetrio Phalereo Hegesia et ex ignotis illis Myrone Daphnide Sosicrate repetitis. ,utrumque videtur probare nondum fuisse canona, qui et omissos illos quinque complecteretur et hos novem praeter exspectationem nostram adhibitos excluderet.' hanc Meieri argumentationem prorsus debilem esse in oculos incurrit, quamquam Steffen l. c. p. 49 eius acer exstitit patronus: ,si ulla, inquit, floreret tum canon oratorum auctoritate, eam normam hunc in modum Gorgiam despecturum fuisse nemo nisi Ruhnkenius contendere ausit.' equidem cum Ruhnkenio audeo; rectissime enim animadvertit Ruhnken p. 65 Gorgiam alieni iudicii etiam gravissimi necessitate noluisse astringi, sed liberum sibi putavisse eos laudare oratores, quos suomet ipse sensu probasset vel ad suum usum optime posset adhibere. nullam video causam, cur Gorgias censu oratorum constituto ex omnibus, qui laude digni ferebantur, exempla conquirere, alios, quos minus dignos excluserunt critici, prorsus neglegere debuerit, quamquam meliora ex iis exempla ad singula *σχήματα* inlustranda repetere poterat. neque ut voluerit, potuit Gorgias ex decem omnibus oratoribus exempla depromere, cum alii alias figuras adhibuerint, multas prorsus neglexerint, sententiarum figuris posteriores demum inde ab Isaeo oratores manifestam dederint operam, cum priores *ἀσχηµάτιστοι* dicantur.[1]) contraque, qui de figuris scripsit, ad

---

[1]) quod iam Caecilius vidit, cf. Burckhardt l. c. p. 9. 31. ut pauca proponam exempla, epiphonema prorsus ignotum erat antiquioribus oratoribus (Blass, AB III 2 p. 39); epanadiploseos exempla nulla ante Demosthenem apud oratores reperiuntur (ib. III 1 p. 147); paralipseos usus apud priores velut Isocratem multo est rarior minusque animadvertitur quam apud Demosthenem (ib. p. 157); anaphoram Isocrates paene nusquam, saepissime

nonnulla praecepta exornanda Asianos non potuit non admittere, cum essent figurae, quae inter Asianos demum nascerentur. itaque nec debuit nec potuit Gorgias norma, qualis in decade oratorum Atticorum constituta erat, astringi; qui quod promiscue Asianos et Atticos oratores in usum vocavit,[1]) id unum ostendit Asianos quoque, quorum auctoritas ne Augusto quidem imperatore prorsus exstincta erat, habuisse quo aliis illa aetate probarentur.[2])

Sequitur ut e Dionysio Halicarnasensi quae conlegit Meier a Steffeno adiutus testimonia iudicio nostro subiciamus. loci, qui in disceptationem vocantur, memorabiles hi sunt:

1. de orat. ant. 1 p. 445 sqq.: postquam Dionysius eloquentiae propemodum exstinctae studia aequales demum recolere coepisse parentemque eius mutationis factae esse Romam enuntiavit, quae ut domina omnium gentium oculos in se converteret, profitetur se dicturum esse, qui sint memoria dignissimi oratores et historici, quam vivendi et dicendi rationem sint secuti, quid in singulis imitandum quidve sit fugiendum, *θεωρήματα οὐδέ που μὰ Δία κοινὰ οὐδὲ καθημαξευμένα τοῖς πρότερον;* diu se quaesivisse neque tamen ullam repperisse scriptionem, quod quidem pro certo se adfirmare nolle adiungit, cum *αὔθαδες πάνυ καὶ οὐ πόρρω μανίας* sit;[3]) iam cum multi sint oratores et historici iique

---

Demosthenes usurpat (Rehdantz index s. v. Anaphora; Blass, AB III 1 p. 144); omnino apud Demosthenem demum sententiarum figuras cum maxime est admiratus Cicero vel eius auctor (orat. 136; cf. Brut. 68 sq.), cum idem ‚inornatum' vocet Lysiam (or. 29).

[1]) ad liquidum quaestio perduci nequit, cum Gorgiae libri non integri ad nostram usque memoriam servati sint, cf. G. Dzialas, quaest. Rutil., Vratisl. 1860; R. Volkmann, Rhet. p. 390; Th. Birt l. l. p. 384; Teuffel, RLG p. 600⁴.

[2]) quod observavit Meier hac re differre Gorgiam ab aliis rhetoribus, quod illi iam vulgata decade ad alios praeter oratores scriptores confugerint, veluti Demetrius Hermogenes Longinus (*π. ὕψους* dicit auctorem), nulla prorsus alia Gorgias habeat exempla nisi oratorum, non ego inde cum Meiero concluserim Gorgiam, si decas exstitisset, eam neglegere nec debuisse nec potuisse, immo solum id, rhetori ad praecepta rhetorica testimoniis confirmanda in una oratorum elocutione se continere fuisse propositum; ceterum Gorgia etiam antiquiores rhetores, quos memorat Cornif. IV 5, 8, ab omnibus oratoribus et poetis exempla sumpserunt; cf. etiam Rutil. 1, 6. 8.

[3]) non satis ad haec verba attendit Meier, qui Dionysium non ita se fuisse iactaturum ait, si eadem provincia iam aliorum fuisset. nam manifesto Dionysius, ceteroqui non ita accuratus in auctoribus conquirendis et

boni, se non de omnibus, sed optimis dicturum esse pronuntiavit: *ἔσονται δ' οἱ μὲν παραλαμβανόμενοι ῥήτορες τρεῖς μὲν ἐκ τῶν πρεσβυτέρων Λυσίας Ἰσοκράτης Ἰσαῖος, τρεῖς δ' ἐκ τῶν ἐπακμασάντων τούτοις Δημοσθένης Ὑπερείδης Αἰσχίνης, οὓς ἐγὼ τῶν ἄλλων ἡγοῦμαι κρατίστους* (cf. p. 451. 628).[1])

2. de Isaeo 19 p. 625 sqq.: postquam explicavit de Isaeo, velle se ait breviter etiam de reliquis oratoribus verba facere, ne quis ab se inlustres oratores aut propter ignorantiam aut propter fugam laboris omissos putet, deinde qui simili atque Isocrates et Lysias scribendi genere usi sunt, enumerat, inter eos Antiphontem; denique, cur Isaeum, cum et ipse Lysiae fuerit imitator, adiunxerit Isocrati et Lysiae, reddit hanc rationem: *ὅτι μοι δοκεῖ τῆς Δημοσθένους δεινότητος — τὰ σπέρματα καὶ τὰς ἀρχὰς οὗτος ὁ ἀνὴρ παρασχεῖν.*

3. de Din. 1 p. 629: *περὶ Δεινάρχου τοῦ ῥήτορος οὐδὲν εἰρηκὼς ἐν τοῖς περὶ τῶν ἀρχαίων γραφεῖσι διὰ τὸ μήτε εὑρετὴν ἰδίου γεγονέναι χαρακτῆρος τὸν ἄνδρα ὥσπερ τὸν Λυσίαν καὶ τὸν Ἰσοκράτην καὶ τὸν Ἰσαῖον μήτε τῶν εὑρημάτων ἑτέροις τελεωτὴν ὥσπερ τὸν Δημοσθένην καὶ τὸν Αἰσχίνην καὶ τὸν Ὑπερείδην ἡμεῖς κρίνομεν. ὁρῶν δὲ καὶ τοῦτον τὸν ἄνδρα παρὰ πολλοῖς ἠξιωμένον ὀνόματος ἐπὶ δεινότητος λόγων, καὶ ἀπολελοιπότα δημοσίους τε καὶ ἰδι[ωτικ]οὺς λόγους οὔτε ὀλίγους οὔτε εὐκαταφρονήτους ἡγησάμην δεῖν μὴ παραλιπεῖν αὐτὸν . . .*

Quibus locis perspectis hoc cernitur Dionysium ipsum per se rationem, quam ne ipse quidem ubique probabat, invenisse sex oratores optimos in numerum redigendi, quibus, cum apud multos Dinarchum aliqua vidisset auctoritate florere, eum adiunxit septimum. canonem eum non novisse hinc non potest conligi. falso enim hoc quidem ex silentio concluseris. nam ex bonis et inlustribus oratoribus optimos ipse dicit se voluisse segregare, quod idem fecit in aliis scriptoribus; etenim si, quos poetarum historicorum

---

comparandis (Westerm., G.d.B I 193), tacite concedit posse quosdam libellos eiusdem argumenti reperiri ipsaque *θεωρήματα* cum non vulgaria neque trita dicit, aperte profitetur saltem incohata esse. atque profecto iam ante eum hoc munus multi obierunt critici, quod infra diligentius indagabimus.

[1]) Dion. vett. cens. p. 431 sqq. paullulum ab hoc oratorum ordine aberrat, cum quinque ex illis sex oratoribus ad imitandum commendet Isaei loco Lycurgum sextum reponens; unde suo iure concludit Steffen firma norma Dionysium ipsum videri caruisse.

philosophorum constituerit delectus, contuleris, facile cognosces optimos quosque ex maiore bonorum scriptorum numero eum elegisse; vett. cens. p. 415 sqq. epicorum quattuor, lyricorum totidem, tragicos poetas tres principes effert, de comicis in universum iudicat unumque Menandrum praecipuo conlocat loco; ex magno historicorum grege quinque notat, ex philosophis praeter Pythagoreos Xenophontem Platonem Aristotelem eiusque discipulos uno recensu spectat. quorum omnium scriptorum canones multo ampliores etiam Dionysii aetate exstabant atque ad nos pervenerunt. neque ipsi Dionysio incogniti erant, qui e. g. praeter Pindarum Stesichorum Simonidem Alcaeum inter lyricos praecipuos Sapphonem et Anacreontem referebat (de comp. verb. 23 p. 173; de adm. vi dic. Dem. 40 p. 1079), ita ut iam non miremur, quod ex decem bonis oratoribus, ut quae propria eius provincia esset, eadem ratione sex optimos Dionysius secrevit Lysiam Isocratem Isaeum vel huius loco Lycurgum Demosthenem Aeschinem Hyperidem.[1]) quam probe noverit maiorem numerum, inde fit apertum, quod l. c. omittit Lycurgum, Isaeum singulari dissertatione percenset, idem Dinarchum apud multos aliquid valere habet cognitum neque denique inter certos fines cohiberi se passus, quamquam paucos proposuerat scriptores imitandos, tamen etiam de aliis bonis oratoribus occasione data nonnulla refert. rarissima quidem est Antiphontis et Andocidis habita ratio; sed de Andocide aeque atque de aliis ex decade oratoribus peculiari libello disseruit,[2]) cuius orationes non facile crediderim Dionysium pertractaturum fuisse, nisi Andocides in honore aliquo fuisset; ipsi sane Dionysio non uno nomine reprehendendus videbatur. eidem Antiphontis nimis austera compositio perinde atque Thucydidis displicuit. uterque orator nimis ei priscus erat, siquidem p. 541 cum Calamide et Callimacho ipsum Lysiam confert, Isocratem cum Polyclito et Phidia, idemque p. 591 Lysiae stilum cum *γραφαῖς ἀρχαίαις*, Isaei cum *ταῖς μετ' ἐκείνας* i. e. recentioribus comparat. sed quid plura? nimis veteres illos oratores a decade exclusit, ceteros octo plus minusve probavit

[1]) idem vidimus egisse Quintilianum X 1, 76—80 (cf. p. 6 sq.), qui tamen decadem disertis commemorat verbis, ex qua quinque praestantissimos selegit.

[2]) cf. Blass, GB 173; C. Th. Roessler, Dion. H. script. rhett. fragm., diss. Lips. 1873 p. 25.

ut imitatione dignos,[1]) alios oratores diligentius non tractavit, quod ipsum documento est Dionysium suum iudicium applicuisse ad normam quandam, qualis exstabat in canone decem oratorum. eodem adducor etiam hac re, quod Dionysium Caecilio familiarissimum fuisse scimus.

Sed iam huic de Dionysio disputationi finem imponamus atque cetera videamus. unus restat vir doctus, cui Meier decadem cognitam fuisse comprobare studuit, Didymus Chalcenterus, de quo quid sentiamus supra exposuimus. iam in eo esset, ut ad Meieri ipsam opinionem refutandam accederemus, nisi prius Steffeni argumentum nos diluere oporteret, qui ne Ciceronem quidem canonis meminisse contendit ideoque eius aetate canonem exstitisse negavit; p. 47 sq. his scilicet verbis totam quaestionem sibi absolvisse visus est: ‚Cicero in libris rhetoricis quotiescumque historiam eloquentiae Atticae tractat, non modo decadem non commemorat, sed ne uno quidem verbo Andocidis et Isaei mentionem fecit. verum „Demostheni, ait Cicero Brut. 9, 36, Hyperides proximus et Aeschines fuit et Lycurgus et Dinarchus et is cuius nulla exstant Demades aliique plures etc. — Phalereus primus inflexit orationem“, atque paullo post (82, 285): „Phalereus ille Demetrius Atticene dixerit? qs.“ ex his nonne luculenter apparet tantum afuisse, ut Cicero decem oratores ab aliis Atticis separatos esse sciret, ut quinam potissimum essent oratores Attici, suo ipse arbitrio definiret? quid quod plurimos eorum, qui tunc in eloquentia studium conlocarent, ab Atticorum rationibus dicendi alienissimos fuisse Cicero testatur (de or. II 23, 95: hodie Alabandensem Meneclem et eius fratrem Hieroclem, quod ego audivi, tota imitatur Asia)?‘ Steffen neque locos quos attulit recte explicavit neque omnes ad quaestionem conficiendam idoneos ex Ciceronis scriptis rhetoricis conlegit. quem primum proposuit, locus huc non quadrat, cum ‚is cuius nulla exstant Demades‘ ea ipsa de causa in canonem non potuerit recipi, ad quem iuste constituendum ex orationibus iudicium fieri oportet, Demetrius vero Phalereus distincte a ceteris discernatur, quibus ‚sucus ille et sanguis incorruptus fuit‘ atque ‚naturalis, non fucatus nitor‘, cum Phalereus ‚primus inflexerit orationem‘ (cf. etiam de or. II 95). deinde ‚quod plurimos eorum, qui tunc in eloquentia studium conlocarent, ab Atticorum rationibus

[1]) bene in hanc sententiam Blass, GB 184 sq. disputavit.

dicendi alienissimos fuisse Cicero testatur', solum id conligi potuit canonem Atticorum tunc temporis, hoc est a. 91 a. Ch., quo sermonem haberi Cicero facit, cum nondum satis probaretur, esse neglectum. itaque locis quos attulit nobis non persuasit id quod voluit Steffen. neque omnino mihi cum Steffeno convenit. nullo quidem loco Andocidis et Isaei Cicero facit mentionem, nusquam disertis verbis decadem commemorat, nihilo tamen minus multis locis adductus si non decadem, at vero delectum quendam oratorum Atticorum Ciceronem novisse confido. primum Ciceronis scripta leviter tantum pervolutantem non fugit oratores saepissime recensos atque in ordines redactos esse, quod Cicero neque primus neque ipse per se invenit, sed e Graecorum similibus scriptis recepit. quod oratores Romanos inde a primordiis eloquentiae Romanae in Bruto ex dignitate aestimavit atque temporum ordinem secutus in numeros digessit, id Graecorum rhetorum similia studia imitatus videtur fecisse, oratorum Graecorum ordines ex ipsis Graecis fontibus hausit; nam quamquam oratorum Atticorum saltem summorum orationes vel legit vel vertit,[1]) ex quibus de oratoribus ipsis iudicia facere posset, nulla tamen iusta ratione adducimur, ut eorum ordines ipsum constituisse credamus. iam vero enumerantur oratores Attici complures vel pauci ad ordinem aut temporis, quo vigebant, aut dignitatis, qua florebant, sese excipientes, qui quo melius res dinoscatur, nunc tabula proposita uno referantur recensu:

de or. II 93: Lys. Isocr. — Dem. Hyp. Lyc. Aesch. Din. (7); cf. Dion. H. locis modo adlatis.

Brut. 32—39: Isocr. Lys. — Dem. Hyp. Aesch. Lyc. Din. (Demades) (7).

de or. III 28: Isocr. Lys. — Hyp. Aesch. Dem. cf. or. 235 (5).

Brut. 285: Dem. Lys. Hyp. Aesch. cf. or. 110 (4).

Brut. 290: Hyp. Aesch. Dem. (3).

de or. I 58: Dem. Hyp. cf. Brut. 36 (2).

de opt. gen. or.: Dem. Aesch. (2).

de or. III 71: Demosthenes princeps. cf. e. g. or. 23. 26. 104. 110; de opt. gen. or. 13.

---

[1]) de or. I 155: ‚postea mihi placuit eoque sum usus adulescens, ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem'; cf. de or. III 125; de opt. gen. or. libellum; Blass, AB III 2 p. 92 n. 9: ‚freilich beweist keine Stelle, dass Cicero den Lykurg gelesen.'

Quibus locis comparatis cum multa alia tum id consequitur Ciceronem vetustiorum ex decade oratorum Lysiam et Isocratem ut ex eo numero eminentes retinuisse, cum Andocidem et Isaeum prorsus neglegeret, Antiphontis inter rhetores potius quam oratores faceret mentionem (Brut. 47 ex Aristot. *συναγ. τεχν.*). itaque idem observamus, quod in Dionysio atque fortasse in Didymo observasse nobis videmur, nimis priscos illos oratores ab eorum virorum indole abhorruisse; quod etiam cum reliqua Ciceronis dicendi ratione optime concinit, qui ‚parum antiquus' (Tac. dial. 18) saepenumero priscorum oratorum vel scriptorum studiosos castigat. praeterea canonem eum novisse comperimus, cui Lycurgus et Dinarchus ascripti fuerint. quin etiam decadem ipsam ab auctoribus eius traditam videtur totam reiecisse, ex parte probasse, siquidem recte huc refero duos locos, unum ipsius Ciceronis, alterum Quintiliani. in libelli, quo Asiaticorum et Atticorum dicendi genera breviter percenset, de opt. gen. or. 7 haec tradit Cicero: ‚est vitium in sententia, si quid absurdum aut alienum aut non acutum aut subinsulsum est; in verbis, si inquinatum, si abiectum, si non aptum, si durum, si longe petitum. haec vitaverunt fere omnes, qui aut Attici numerantur aut dicunt Attice.' unde luculenter apparet numerum quendam certum oratorum Atticorum secerni ab aliis oratoribus iisdem Atticis, inter quos Demetrium Phalereum Cicero videtur rettulisse (Brut. 285). alter locus est in Quintiliani libro X 1, 76, qui Ciceronem manifesto secutus, quos hic de or. III 28 enumeravit quinque praestantissimos oratores, inverso tantum ordine et ipse recenset, atque cum illos e numero denario distinctis verbis significet esse exemptos, idem Ciceronem vel potius eius auctorem fecisse proclive est conicere.

Sed haec hactenus; vidimus illud certe, iam ante Caecilii aetatem fuisse, qui oratorum Atticorum canones constituerent. hunc de quo agitur canonem quamquam Dionysio atque etiam Ciceroni eiusque auctori notum fuisse veri est simillimum, disertis verbis primus commemorat Caecilius. itaque aut nos erravimus, cum qui ante fuerant oratorum canones nihil cum hoc Caecilii canone habeant commune, aut Caecilius canonem recepit, qui iam antea constitutus rhetorum et oratorum studia tenebat. ‚ab eodem Caecilio atque eo ipso libro, quem is de indole decem oratorum scripsit, rem primum motam et demonstratam esse'

arbitratur Ed. Meier, arbitrantur plerique viri docti, qui bona fide viri summi iudicio sese addixerunt; adlatis argumentis unus quod sciam adversatur Hampe. atque prorsus accedo Meiero rhetorem canonis auctorem fuisse iudicanti; solam enim rhetoricam rationem neque ullam aliam in delectu faciendo spectatam esse iure statuit; namque cum ad imitationem canonem propositum esse constet, cuius praeter rhetores interfuerit ex ingenti oratorum grege paucos eligere imitandos, non video. sed tamen Caecilium fuisse illum rhetorem prorsus nego. iam Hampe, quod argumentum nullum esse vult Meier, offendit in articulo *τῶν* inscriptionis libelli *περὶ τοῦ χαρακτῆρος τῶν δέκα ῥητόρων* suoque iure; neque solus *τῶν* articulus, sed tota inscriptio mira est, quae non ita facile de Atticis illis decem oratoribus intellegitur, nisi aut Caecilium ipsum aut alium quem iam ante illum Caecilii librum editum decem oratores Atticos in numerum redegisse pro vero accipimus. a Caecilio autem ipso illa decas non est instituta; quod ut demonstrem, non eo utar argumento levissimo, quo Hampe adducitur, ut Caecilio abiudicet, Didymo irroget oratorum censum, nempe ‚Caecilium non fuisse rhetorem, cuius auctoritatem secuti qui insequebantur scriptores hanc decadem recepissent'; nam prorsus errat vir doctus ipsumque contrarium est verum; nemo enim, qui iudicia Caecilii aut aliorum de Caecilio leviter tantum contulerit, in Hampii sententiam poterit abire, immo si praeter Dionysium fuit, qui oratorum canones constituere potuerit, nemo alius is erat nisi Caecilius *ὁ κριτικὸς, ὁ περιττὸς ἐν ἅπασι* (Plut. Demosth. c. 3), cuius iudicium apud posteros tantum valuit, ut, quod ille vel incertis argumentis nixus coniecerat de Antiphonte Thucydidis (VIII 68) magistro, id Hermogenis aetate fere omnes verum esse crederent (*π. ἰδ.* II c. 11 de Antiphonte), quodque de Leodamante Aeschinis praeceptore (Ctesiph. § 138) tradidit, Ps. Plutarcho v. Aesch. p. 840 b imponeret.[1]) sed alia eaque gravissima

[1]) iustis laudibus Caecilium efferunt C. O. Mueller, GLG II 330; Burckhardt l. l. p. 6 sq. 9. 25; Blass, GB 173 sqq. 201 sqq. 208; AB III 1 p. 5; Ludovicus Martens, de libello *π. ὕψ.*, diss. Bonn. 1877 p. 9. falso Aemilius Winkler, de Longini qui fertur libro *π. ὕψ.*, diss. Hal. 1870 p. 17 haec adnotat: ‚constat Caecilium post primum saeculum raro lectum fuisse ac paullatim in oblivionem abiisse.' cf. e. g. quae de Caecilio disputavit Casimir a Morawski, quaest. Quint., diss. Berol. Posnaniae 1874 p. 33 sqq. 44 sqq.; NRhM XXXIV 370 sqq.

argumenta me movent, ut a Caecilio talem oratorum coniunctionem alienam putem. Ciceronem atque Dionysium vidimus (septem vel) octo optimos oratores Atticos ad imitationem elegisse; iis numquis erit qui serio crediderit Caecilium, cui Cicero et Dionysius haud ignoti erant,[1]) imitationis ergo adiunxisse duos (vel tres) oratores inferioris notae Antiphontem Andocidem (Isaeum)? Minime Andocidem elegisset; nam et ab Caecilii indole et ab aetate, qua vixit Caecilius, abhorrebat scriptorem, qualis fuit Andocides, ad imitationem studiosis iuvenibus commendare. quod ut melius perspiciatur, paullo altius argumenta repetere ex re est. quotusquisque nescit Caecilium iuxta atque Dionysium Asianae dictioni fuisse valde infensum multaque conscripsisse, quibus Atticos contra Asianos defenderet? quid sibi voluit ille *κατὰ Φρυγῶν* libellus nisi Asianos perstrinxit? quid ille, cui inscriptum erat *τίνι διαφέρει ὁ Ἀττικὸς ζῆλος τοῦ Ἀσιανοῦ*? cur, quaeso, Lysiae gracilitatem Platonis magnitudini ita praetulit, ut Platonem longe Lysia duceret inferiorem (Ps. Long. *π. ὕψ.* c. 32 p. 53)? nulla credo alia de causa, nisi quod ,iusto Asiatici generis dicendi odio obductus nimis anxius puri et consueti Attici sermonis exstitit patronus.' neque denique aliud mihi videtur fuisse argumentum, quod continebatur libro *σύγκρισις Δημοσθένους καὶ Αἰσχίνου*, nisi Demosthenem Atticis amatissimum summam dicendi normam ac regulam esse comprobare studuit. talem rhetorem quis tandem contendat Andocidem in decadem rettulisse, cuius ne ii quidem rhetores rationem habent, qui Atticorum nomine non insigniuntur, velut Cicero? certe Andocidem si in canonem Atticorum recepisset, Asianis melius quam Atticis consuluisset. nam errat Sluiter[2]) ab Oleario in errorem inductus, qui larga testimoniorum messe proposita nonnullas dicendi virtutes venando cum indagasset, iure a grammaticis Andocidem in numerum esse relatum et inter decem conlocatum principes contendit. neque minus errat Meier, qui Andocidem hac de causa inter selectos a Caecilio relatum esse coniecit, quod ,cum eloquentia reliquorum novem artem et artis praecepta saperet, Andocidis oratio ab arte et scientia abhorreret et humilem

[1]) scripsit *σύγκρισιν Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος;* Dionysii familiarem eum fuisse paullo ante monui.

[2]) lectiones Andocideae, edidit C. Schiller, Lips. 1843 p. 2 sq.

quidem ac tamen quandam quasi naturam sequeretur.' hanc causam in Caecilio quidem futtilem esse atque cum ipsa, quam Caecilius tenebat, norma pugnare nemo infitiabitur; non enim est credibile Caecilium, ut qui *περὶ συνθέσεως*, *περὶ σχημάτων*, *περὶ ὕψους* similiaque scripta composuisset, in quibus eos tantum iustos oratores duxit, qui arte quadam et consilio, non solam naturam secuti[1]) orationes scripsissent, in canonem quendam recepisse oratorem, qui neque praecepta rhetorica quicquam curabat et vulgare dicendi genus in orationibus de industria exprimebat. errat denique, si de Andocide fit quaestio, Hampe l. c. p. 16, qui aliter censuisse putat veteres criticos, aliter nos, cuique hoc probatum videtur esse multas alias posse exstitisse orationes, quibus recensis Andocides in numerum esset relatus; neque enim

---

[1]) inconsiderate igitur egit Martens l. l. p. 9 sq., qui in Ps. Long. *π. ὕψ.* c. 2 init., ubi haec leguntur: ,*ἡμῖν δ' ἐκεῖνο διαπορητέον ἐν ἀρχῇ, εἰ ἔστιν ὕψους τις [ἢ βάθους] τέχνη, ἐπεί τινες οἴονται διηπατῆσθαι τοὺς τὰ τοιαῦτα ἄγοντας εἰς τεχνικὰ παραγγέλματα. γεννᾶται γάρ, φησί, τὰ μεγαλοφυῆ καὶ οὐ διδακτὰ παραγίνεται, καὶ μία τέχνη πρὸς αὐτὰ τὸ πεφυκέναι· χείρω τε τὰ φυσικὰ ἔργα, ὡς οἴονται, καὶ τῷ παντὶ δειλότερα καθίσταται ταῖς τεχνολογίαις κατασκελετευόμενα*', ad vocem *φησί* supplet *Καικίλιος* itaque *ὕψος* arte comparari posse negasse Caecilium adfirmat. cuius opinionem quamquam probat H. Diels, Herm. XIII p. 5, falsam esse in propatulo est. nam praeterquam quod ubique Caecilium arti summam vim tribuisse ad orationem conformandam observamus, procul dubio sublimitatis artem cum agnovisse e capite primo Ps. Longini dilucide evadit. nam *τεχνολογίαν* Caecilii *περὶ ὕψους συγγραμμάτιον* fuisse aperte significat Ps. Longinus; qui si tale, quale voluit Martens, inter ipsum et Caecilium intercessisset discrimen, vehementer adversarium cap. 1 carpsisset, in quo tamen id unum reprehendit, quod eius libellus *ταπεινότερος τῆς ὅλης ὑποθέσεως* h. e. imperfectus nec prorsus absolutus fuit; ceteroqui cum eius hypothesi consentire videtur eumque *αὐτῆς τῆς ἐπινοίας καὶ σπουδῆς ἄξιον ἐπαινεῖν* putat. neque unius viri nomen ad vocem *φησί* subintellegendum esse docent verba praecedentia *τινὲς οἴονται*, quibuscum enunciatum *γεννᾶται* sqq. apte cohaeret *γὰρ* voce addita, et verba sequentia *ὡς οἴονται*; facile igitur concedes sectam (fortasse Epicureorum vel Asianorum) castigari, quae artem nusquam probaret solaque natura duce dicendi facultatem comparari posse profiteretur. *φησί* in *φασί* mutare, quod voluit Manutius eumque secutus Ioh. Mueller, de fig. quaest. crit. I, Gryph. diss. 1880 p. 8 not., omnino opus non est, cum eadem ratione atque latinum ,inquit' (cf. e. g. Cic. Brut. 287) *φησί* pro *φασί* (man sagt, es heisst) positum saepius inveniatur idque vario sensu; cf. Ps. Long. p. 48, 1. 68, 2; Weiske ad Long. p. 228; Toup ad Long. p. 275. 335; Reiske et Krueger ad Dion. H. ep. ad Cn. Pomp. p. 753 R; Schaefer ad Dion. de comp. verb. c. 3.

Andocidem eiusque dictionem aut veteres aut recentes critici probabant[1]), neque, ut fuerint plures quam aetatem tulerunt Andocidis orationes, inde sequitur eas meliores fuisse, temporum iniquitate pessimas tantum ad nos pervenisse; immo quod iam Hermogenes acerrime in Andocidem invehitur, inde apparere videtur Andocidis orationes etiamtunc habuisse, quo displicerent. candide igitur profiteamur necesse est non liquere, quo pacto Andocides in canonem recipi potuerit a Caecilio confectum. neque solum Andocidem, puto, Caecilius canoni non ascripsisset, sed ne Aeschinem quidem, cuius abundantiam profecto respuerit, cui satis multa vitia exprobret, cum orationem eius vocet *κεχηνυῖάν πως καὶ ἄτεχνον καὶ προπετῆ καὶ εὐχερῶς ἐπὶ τὸ λοιδορεῖν αἰσχρῶς καὶ ἀπρεπῶς ῥήτορι ἐξαγομένην, ἔχουσαν δέ τι εὐφυὲς καὶ εὐάγωγον καὶ οἷον ἂν γένοιτό τινι ἐκ φύσεως καὶ μελέτης ἀφανοῦς* (Schol. ad Aesch. fals. leg. 3, 1 ed. Tur. II p. 26).[2]) neque fortasse idem Antiphontis orationem probasset, quem *μὴ κατ' ἐπιτήδευσιν μήτε συνεχῶς τοῖς κατὰ διάνοιαν σχήμασι κεχρῆσθαι* Caecilius iudicat, quique suae aetatis princeps nondum novit artificiosam compositionem dictionemque figuris distinctam.[3])

Quae cum ita sint, probasse nobis videmur canonem decem oratorum a Caecilii indole esse alienissimum. itaque cum Caecilius auctor canonis non fuerit, aut ab alio eiusdem aetatis auctore aut ante eius aetatem canonem esse confectum liquet. quodsi quae de eloquentiae circa Augusti principatum statu ac condicione tradidit Dionysius de orat. ant. prooem. c. 2 perlegeris, Dionysii demum et Caecilii aetate eiusmodi canonem ad imitationem propositum esse mecum negabis. ergo ante Caecilium oratorum canon est constitutus

---

[1]) testimonia conlegit Meier, Andoc. III p. 15 (= Opusc. I 118); W. Francke, de Andoc. orat. quae est de pace, diss. Hal. 1876 p. 7 sqq. 24. 30 sq.; Blass, AB I 268. 283. 287 sqq. 313. 316—318. 324 sq.; praef. ad Andoc. edit. alt., Lips. 1880 p. XI. XVII.

[2]) cf. Schol. Dem. 18 p. 269, 18; Dion. H. vett. cens. p. 434; Blass, GB 59; AB I 323. III 2 p. 132. 136. 153. 158 sq. 193 sq. 230 sq. 234 sqq.

[3]) Antiphon non solis sententiarum figuris, sed exceptis Gorgianis etiam *σχήμασι λέξεως* abstinebat (Blass, AB I 134); orationis vero *ἀσχηματίστου* vitium non inter minima ducit Quint. IX 1, 10 sq. Caecilio ut videtur praeeunte.

verique est simillimum ordines oratorum a Dionysio et Cicerone prolatos ad corrigendum illum, cuius ambitum non excedant, spectare. unde vero Caecilius aliique canonem receperunt? nam Alexandria eum Romam delatum esse neque traditum est neque, ut ostendimus, licet conici. in novas igitur *ἀπορίας*, in nova *ζητήματα* incidimus, quae ut explicemus, ad alteram nunc dissertationis partem properemus.

Pars II.

1.

Canonem in Asia exeunte saeculo altero a. Ch. compositum esse.

Canonem post Dinarchi mortem et ante Caecilii aetatem imitationis oratoriae ergo a rhetore esse constitutum parte priore nobis videmur demonstrasse; nunc nascitur quaestio gravissima, ubi et quando canon ille sit constitutus. quod ut via ac ratione investigemus, primum cum de oratorum canone quaeratur, ubi eloquentia his tribus fere saeculis ita floruerit, ut dicendi exemplaria desiderarentur, circumspiciamus. atque Athenis quidem totaque Graecia proximo post Dinarchum mortuum temporis spatio eloquentia iacebat (Blass, GB 22 sq. 95 sq.) unaque cum libertate exstincta subito fere conticuit et obmutuit. restant igitur Rhodus et Asia, quo ut semel e Piraeo evecta est, confugit eloquentia[1]) novumque conlocavit domicilium. — at cum

[1]) cf. Cic. Brut. 51, cui Rhodum insulam potissimum obversatam esse ea quae sequuntur docent: ‚hinc Asiatici oratores — Rhodii saniores et Atticorum similiores.‘ quod Cicero tradit: ‚eloquentia omnes peragravit insulas atque peregrinata tota Asia est,‘ fortasse leviter indicavit Rhodi primum eloquentiam domicilium invenisse, unde in Asiam transierit; idem subest narrationi, quae est apud Plut. Demosth. 24: (Aeschines) *εὐθὺς ἐκ τῆς πόλεως ᾤχετ' ἀπιὼν καὶ περὶ Ῥόδον καὶ Ἰωνίαν σοφιστεύων κατεβίωσε.* consentit cum Plutarcho Philostratus vit. sophist. I prooem.; 15, nisi quod Cariam in locum Ioniae substituit. certe Aeschinis auctoritas, cum iam a. 330 Athenis relictis Rhodum profugisset et 314 Sami vita decessisset, prius in illis regionibus viguit quam Hegesiae, qui quinquaginta demum annis post inter Asianos longe excellebat. posteriorem Rhodiorum eloquentiam cum illa priore communi vinculo non fuisse iunctam monere opus non est; immo potius cum Molo ex Caria Rhodum transcenderit eoque Hyperidis imitationem contulerit, ab Asiana eam vim ac vitam recepisse manifestum est.

soli Attici usque ad Dinarchum florentes in canonem sint recepti, haud inepte quaesierit quispiam, quid haec exempla apud Asianos et Rhodios primis quidem eloquentiae temporibus sibi voluerint. etenim quae ex Piraeo in insulas et Asiam evecta est eloquentia, externis, ut idem ait Cicero, se oblivit moribus omnemque illam salubritatem Atticae dictionis et quasi sanitatem perdidit ac paene loqui dedidicit (cf. Dion. H. de orat. ant. prooem. p. 445—452). Aeschinis exemplo commoti oratores Asiani ‚ingenio potius et vi naturae quam institutione et litteris famam consequi' se posse putabant ideoque in eloquentia extemporanea cummaxime sese exercebant. qui si omnino, quem Atticum imitarentur, quaerebant, tantum aberat, ut ad vetera illa Atticorum exempla redirent, ut corrupta iam ac depravata ad imitationem sibi sumerent digni, quos communi voce *κακοζήλους* [1]) appelles. sed alii alia exempla effingere studebant. quod Lysiam Charisius imitabatur, ideo Lysiae imitator et ipse volebat esse Hegesias Charisii discipulus, qui quamquam *παρέφθειρε τὸ καθεστὼς ἔθος τὸ Ἀττικὸν* (Strabo XIV p. 648 C.), nimis adroganter ita se putabat Atticum, ut veros illos prae se agrestes iudicaret (Cic. Brut. 286); cuius ad exemplum et auctoritatem cum plurimi Asiani sese applicuissent, Atticos, quos imitando adsequi non poterant, aut fastidiebant aut eorum *ἐλαττώματα* in peius vertebant, vanae loquacitatis pueriliumque ineptiarum ac ludorum aucupes. neque magis deerant, qui Isocratis epidicticum dicendi genus reddidisse sibi viderentur, cum essent *ψυχροὶ* et *ἀναλῆθεις*

[1]) quod improprium ambiguum inane insanum frigidum tumidum praedulce arcessitum exsultans corruptum denique et adfectatum in verborum et sententiarum electione et compositione erat, id cacozeliae nomine notabatur, cf. Demetr. *π. ἑρμ.* 186—189. 239; Sen. rhet. contr. IX 2 (25), 26; suas. 7, 11; suas. 2, 16 (cf. contr. VII 4, 9); contr. IX 1 (24), 15; Ps. Long. *π. ὕψ.* 3 p. 13; Quint. II 3, 9. VIII 3, 56 sqq. 6, 73; Plin. ep. VII 2; Suet. vita Aug. 86; Hermog. *π. εὑρ.* II 256 Sp.; Donat. vita Verg. Rffsch.; Anonym. *π. σχημ.* III 118 Sp.; Jul. Vict. p. 436 Halm; Porphyr. schol. in Hor. carm. saec. 10; serm. II 5, 41; ep. I 11, 28. 12, 19; a. p. 24; apud Dionysium Hal. nullum vocis exemplum inveni. primus quod sciam Neanthes Cyzicenus *π. κακοζηλίας ῥητορικῆς* scripsit, multis saeculis post Callinicus Petraeus Constantini Magni aequalis idem argumentum tractavit (Suid. s. v.); a Diog. L. I 1, 38 servatum est fragmentum Demetrii Magnetis, in quo inter Thaletes commemoratur *ῥήτωρ Καλλατιανὸς κακόζηλος.* cf. etiam Cornif. IV 10, 15 sqq.

(cf. Dion. de Din. 8 p. 646), quam qui Demosthenis vim et gravitatem, Democharem cum imitarentur. itaque oratores Asianos unum dicendi genus amplexos esse procul dubio falsum est, nec sine ratione Cicero Brut. 285 sq. Demetrium Charisium Democharem videtur coniunxisse quasi triadem, ex cuius dicendi genere diverso, sed eodem minus Attico cetera iam corrupta Asiana emanarent; nam tenue dicendi genus Charisius, grave Demochares, Demetrius medium excolebat. quare cum veterum ante Dinarchum oratorum Atticorum iusta existimatio et imitatio fere evanuerit, floruerit insana quaedam et inepta eloquentia ex Atticorum posteriorum dicendi generibus depravata, nemo certe tum canonem nostrum imitationis gratia propositum esse serio crediderit, immo perspicuum est canonis originem non prius esse ponendam, quam veterum Atticorum verior aestimatio redierit. id quod circa Hermagorae aetatem evenisse scimus. itaque in ipsa Asia, siquidem Hermagoras Temno Aeolidis ortus primus iustam Atticorum imitationem apertis dicendi fontibus antiquis excitavit ac commovit (Cic. de inv. I 6, 8. II 3, 8), exstiterunt qui Asianorum insanam dicendi rationem respuerent, revocarent Atticorum salubritatem et integritatem. neque tamen Hermagoram ipsum canonis auctorem fuisse facile concesserim; qui quamvis ‚in plurimis admirandus‘ (Quint. III 11, 22) magnam habuerit vim et auctoritatem apud aequales, tamen cum in praeceptis de inventione et dispositione dandis fere totus esset occupatus, elocutionem paene nunquam respiceret, non est probabile canonem ut elocutionis normam ac regulam ab eo esse propositum (Blass. GB 86 sq). itaque proposuit eum unus ex multis, quos Asia et Rhodus tulit, rhetoribus post renatum oratorum Atticorum studium et ante Caecilium florentibus.

Nam id quidem nostro iure videmur contendisse rhetorem canonis fuisse auctorem (p. 25). iam cum ad quaestionem dilucidius inlustrandam artis rhetoricae historiam paucis adumbrare opus sit, notissimum hoc praemitto rhetoricen, postquam in Aristotele eiusque discipulo Theophrasto quid praestare posset docuerit, languescere paullatim coepisse et cadere[1]), rhetores, qui hanc provinciam susciperent, inventos esse fere nullos, philosophos in primis Stoicos et Peripateticos hanc in rem nimis spinosa et

[1]) cf. H. Jentsch, Aristotelis ex arte rhetorica quaeritur quid habeat Cicero, diss. Berol. 1866 p. 10.

subtilia contulisse.[1]) circa Hermagorae demum aetatem ad rhetores rediit rhetorica, multique tum exorti sunt, qui eam recolerent.[2]) tum multae in artibus tractatae sunt materiae, quas veteres circa Aristotelem rhetores ne attigerant quidem, ut π. καιροῦ vel π. πρέποντος[3]), π. ὑποκρίσεως[4]), π. μνήμης[5]), multae uberius aliquanto et copiosius sunt elaboratae, ut π. στάσεων[6]), π. αὐξήσεως[7]), π. γελοίου[8]), quodque est gravissimum, in elocutione

---

[1]) obiter moneo, si quis philosophos canonis auctores fuisse adfirmaret, nimis illum a scopo aberraturum esse, cum philosophi Attice dicendi et scribendi laudis aeque atque Asiani expertes omnino nulla ad imitandum exempla desiderarent. cf. de philosophis v. g. Cornif. II 11, 16; Cic. fin. IV 3, 7; Dion. de comp. verb. 4.

[2]) non attinet pluribus persequi Romanorum, ut Cornificii et Ciceronis scripta rhetorica maximam partem Graecam ipsorum aetatis disciplinam reddidisse; nam Cornificium veteres circa Aristotelem rhetores legisse nullum est indicium (Jentsch l. l. p. 14 sq.), et Cicero plerumque ad inferioris aetatis scriptores se adligavit (ib. 27), Stagiritam leviter tantum inspiciens (p. 16 sq. 20. 48—51); cf. Volkmann, Rh. 67 sqq. 72 sq.

[3]) cf. Cic. de or. I 132; or. 71 sqq.; Dion. de comp. verb. 12. 20; Demetr. π. ἑρμ. 120; Blass, AB III 1 p. 81 n. 1.

[4]) primus ex Romanis post Cornificium (I 2, 3. III 11, 19—16, 28) Plotius scripsit de gestu; cf. etiam Cic. de or. I 18. 132. 142. 145. II 79. III 213 sqq.; or. 55 sqq.; Demetr. 193—195; Quint. XI 3, 57. 106. 143. 183; Westerm., G. d. B. II 134; R. Kroehnert, die Anfaenge der Rhetorik bei den Roemern, Memel progr. 1877 p. 26.

[5]) quam artis partem ne Hermagoras quidem novit (Volkm., Rh. p. 18), cum iam Cornificius (III 16, 28 sqq.) Graecorum hac de re scripta sequatur (III 23, 38), minutissima praecepta tradat post Ciceronem (de or. II 355 sqq.; I 18. 142. 145. 157. II 79) Quintilianus; cuius doctrinae originem Metrodori Scepsii (c. 150—70), Empyli Rhodii, Hortensii Asianorum studiosi nomina aperte indicant; cf. Cic. ap. Quint. X 5, 4; Kroehnert l. l. p. 26.

[6]) quarum apud Aristotelem prioresque vix initia sunt; Jentsch l. l. p. 11; Blass, AB II 417; Kroehnert l. l. p. 26 sq.; Piderit, de Hermag. rhet. p. 26 sq.; aliter iudicat Volkm., Rh. p. 24. 65.

[7]) cuius doctrinam ab rhetoribus Asianis (et Rhodiis, cf. de Apollonio Sen. contr. VII 4; Cic. de inv. I 109) excultam esse loci indignationis et misericordiae commovendae apud Cornificium Ciceronem Quintilianum abunde coacervati satis ostendunt, cum rhetoribus Atticis et philosophis una κεφαλαίωσις in epilogis adhibenda esse plerumque videretur, cf. Quint. VI 1, 7 (Cic. de or. I 82 sqq.). huc ἤθους et πάθους doctrina est referenda, de qua iam Cicero or. 128 sqq. Graecos adiit.

[8]) cf. Cic. de or. II 217 sqq.; Quint. VI 3; Volkm., Rh. p. 237 sqq.

magna librorum pars versata est,[1]) cuius comparandae causa canon oratorum potissimum est conformatus; illuc spectabant scripta π. χαρακτήρων ἑρμηνείας[2]), π. κακοζηλίας ῥητορικῆς[3]), π. συνθέσεως[4]) (praecipue π. ῥυθμῶν[5]), π. τρόπων et σχημάτων[6]), π. ὕψους[7]), quorum magnam partem ab rhetoribus Asiaticis post Hermagoram vigentibus conscriptam esse infra suo loco indicavimus; multa summa cum veri similitudine ad eosdem referas, cum excepta Rhodo fere sola Asia omnes tunc rhetores Graecos tulerit.[8]) quae cum ita sint, etiam propter studia rhetorica in

---

[1]) Crassus ap. Cic. de or. III 103 commemorat ,ipsa ad ornandum praecepta quae dantur'; cf. 125. 148. Dion. de Thuc. hist. 22 p. 862 sq. capita praeceptorum de elocutione percurrit, dein adiungit: *εἴρηται πολλοῖς πρότερον ὥστε οὐδὲν δεῖ περὶ αὐτῶν ἐμὲ νυνὶ λέγειν*, cf. de comp. verb. 2. 4. apud Cornificium de elocutione praecepta reperiuntur uberrima, cf. Volkm., Rh. p. 334 sq.

[2]) mutatam Theophrasti de tribus dicendi generibus rationem exhibet Cicero, cuius auctor quis Graecus fuerit, non facile expiscaberis (Blass, AB III 1 p. 68); quattuor *χαρακτῆρας ἑρμηνείας* distinguit Demetrius, qui cum cap. 36 fuisse dicat qui duo tantum ex his quattuor effecerint, intellegitur suam de quattuor generibus doctrinam et ipsum alicunde hausisse.

[3]) cf. p. 31 n. 1.

[4]) Cornif. IV 12, 18; Cic. de or. III 93. 171 sqq.; Brut. 140; or. 149 sqq.; Demetr. in primis c. 179; Dion. de comp. verb. 1. 4. 22. 26; Quint. IX 4, 1. 16. 52; Cas. a Morawski, quaest. Quint. p. 19 sqq.

[5]) numero Asiani maxime serviebant (Cic. or. 230); cf. O. Jahn ad Cic. or., Lips. 1851 p. XXVI; Westerm., G. d. B. II 175 n. 10; Morawski l. l. p. 21 sqq.

[6]) quorum doctrinam nimis argutam atque subtilem Asiani rhetores summa diligentia explanaverunt, cum Anaximenes et Aristoteles *σχήματα διανοίας* ne commemorent quidem; in eam de qua agitur aetatem Cornificii et Ciceronis copiosae figurarum tabulae incidunt, in eandem Gorgiae *π. σχημ.* libri. iam Apollonius rhetor Rhodius de figuris disseruit (cf. Phoebamm. *π. σχημ.* III p. 44 Sp.), atque etiam antea inter grammaticorum et rhetorum figuras et tropos discrimen factum est, cf. Taurisc. ap. Sext. Emp. adv. math. I 655 Bkk.; Cic. or. 93. de figurarum doctrinae historia cf. Sauppe, epist. crit., Lips. 1841 p. 153 sqq.; Jentsch l. l. p. 11; Volkm., Rh. p. 354. 396; praecipue Ioh. Mueller, de fig. l. l. p. 1 sq.

[7]) Winkler l. l. p. 7; Martens l. l. p. 7 sqq. de sublimitate certe Caecilius non primus egit; multa eandem in rem Cicero Demetrius Dionysius contulerant.

[8]) quorum nomina si quis cognoscere velit, Blassii librum, in quo historia eloquentiae Graecae inde ab Aristotelis aetate usque ad Augustum describitur, pervolvat, praecipue p. 69—73 et indicem p. 232—234; Rhodios addo Panaetium et Posidonium, quorum uterque etiam ad rhetoricam artem

Asia summopere exculta ab rhetore Asiano canonem confectum esse probabile est.

Neque tamen quemvis rhetorem canonem composuisse credam; nam e magno oratorum numero eum secretum esse supra ostendi. rhetores vero plerique in minutiis rhetoricis occupati satis habebant aut sola ponere elocutionis praecepta aut ad ea conformanda comprobanda refellenda ex magno scriptorum numero unum alterumve testem adhibere. itaque cum rhetorem canonis auctorem eundem criticum fuisse oporteat statuamus, nunc explorandum est, fuerintne Graeci post Hermagoram et ante Caecilium et Dionysium, qui crisin in oratores conferrent, et si qui fuerunt, ubi viguerint.[1]) quodsi oratorum crisin eam vocamus virorum doctorum operam, qua de scriptis aut unius oratoris singulis vel omnibus ex elocutione iudicant aut complurium scripta inter se comparant, ipsos oratores aestimant, inter se et cum aliis viris inlustribus conferunt, eorum denique quosdam ordines et gradus constituunt ac principes deligunt et cum aliarum artium principibus contendunt, haec omnia iam ante Dionysium et Caecilium, ad quos tamquam parentes oratorum crisis referri solet, in Graecis scriptoribus temptata esse deinceps sumus probaturi. atque de alieno scripto vel laudandi vel vituperandi vel comprobandi vel refellendi causa disputare (Cic. de or. 257), simul atque studia eloquentiae revixerunt, multi sunt adgressi. mitto Xenophontem ab eloquentiae studiosis non neglectum. neque pluribus de Thucydide et Platone disserere in animo habeo, sed Thucydidem ἐπιφανέστατοι

incubuit, Empylum (Plut. Brut. 2), Athenodorum (Quint. II 17, 15), Aristodemum (Strabo XIV p. 650 C; Blass 82), Castorem (Suid. s. v.); Asianos Archedemum Stoicum Tarsensem (Strabo XIV p. 674 C; Demetr. π. ἑρμ. 34; Quint. III 6, 31), Demetrium Byzantium a Philodemo lacessitum (Gros, Philod. rhet. IV 5 col. XLII 7 sqq.), Heraclidem Temnitem (c. 59, cf. Cic. pro Flacco saepius), Neoptolemum Parianum glossographum et rhetorem Horatii auctorem (Porphyr. schol. in Hor. a. p. 1; Strabo XIII p. 589 C.), Theodotum Samium Pompei interfectorem (App. b. c. II 84. 90; Sen. contr. II 4, 8; Quint. III 8, 55 sq.).

[1]) in poetas etiam post Aristophanem et Aristarchum critici Graeci inquisiverunt, cuius rei insignissimum documentum est pleias tragicorum post Aristarchum, qui aequales in numerum non redigebat, et ante Strabonem, qui eius mentionem facit (XIV p. 675 C.), constituta. post Aristarchi aetatem referendi sunt etiam ii critici, qui Callimachum et Philetam Callino et Mimnermo poetis elegiacis adiunxerunt, Apollonium Aratum Theocritum alios inter epicos rettulerunt (Quint. X 1, 58. 54—58).

φιλόσοφοί τε καὶ ῥήτορες eloquentiae studiosis exemplum ad imitandum proposuerunt (Dion. de Thuc. hist. 2 p. 812 sq.; Cic. or. 30 sqq.), eius ἐπιτάφιος περιβόητος erat (Dion. ib. 18 p. 849 sqq.), δημηγορίαι habebant, a quibus summis laudibus efferrentur (34 p. 897; cf. Cic. Brut. 287), dialogum inter Atheniensium ducem et Melios μάλιστα ἐπαινοῦσιν οἱ τοῦ χαρακτῆρος τούτου θαυμασταί (Dion. ib. 37 p. 906), quamquam non deerant, qui eum etiam reprehenderent (9 p. 825 sq. 10 p. 830 sqq.); Platonis autem ἐπιτάφιον s. Μενέξενον iam ante Dionysium multi critici observabant, erantque omnino rhetores, quibus Platonis dicendi genus probaretur, erant quibus displiceret (Cic. or. 151. 67; Dion. de adm. vi dic. Dem. 23 p. 1024. 1026; 29 p. 1035. 1043; 30 p. 1044; 32 p. 1057; de Din. 8 p. 645). at canonis auctor et historicum et philosophum exclusit iisdem, ut videtur, atque Cicero (Brut. 287; or. 30. 62 sqq. 66. 151; de opt. gen. or. 15 sq.) et Dionysius (de Thuc. hist. 50 p. 930. 55 p. 952; de adm. vi dic. Dem. 23 p. 1024) motus rationibus. quare ipsos oratores quidque de iis eorumque orationibus senserint critici, videamus. fuerunt sane, quos Dion. ad Amm. II 1 p. 788 sq. citat, τὰς τέχνας καὶ τὰς εἰσαγωγὰς τῶν λόγων πραγματευόμενοι iam ante eum neque diversi ab iis erant φιλόλογοι, quos oratoribus criticam operam impendisse idem tradit de Lys. 8 p. 468: de comp. verb. c. 25 p. 208 sq.; de adm. vi dic. Dem. 23 p. 1024; de Thuc. hist. 2 p. 814 (cf. 25 p. 871). iam ante Ciceronem ex Graecorum oratorum scriptis ‚cuiusque aetatis quae dicendi ratio voluntasque fuerit' intellectum est (Cic. de or. II 92 sqq.; Brut. 52). sed ut iam ad singula me convertam, Dinarchi contra Demosthenem orationem reicit Demetrius Magnes (Dion. de Din. 1 p. 632) dicens εὐήθεις εἶναι τοὺς ὑπολαβόντας τὸν κατὰ Δημοσθένους εἶναι τούτου; multae Dinarchi orationes Ὑπερείδου ἔδοξάν τισι εἶναι (ib. c. 6 p. 641), unde explicatur, cur Dinarchus Hyperidem gratia adsequi dicebatur; videlicet Hyperidis et Dinarchi orationes nondum distincte dinoscebantur. Lysiae λόγον πρὸς Ἁρμόδιον π. Ἰφικράτους δωρεῶν Dionysius (de Lys. 12 p. 478) falsum iudicat, ὃν οἶδ' ὅτι πολλοὶ καὶ χαρακτῆρα ἡγήσαιντ' ἂν καὶ κανόνα τῆς ἐκείνου δυνάμεως. Antiphontis etiam aliae orationes laudantur, ἐπαινεῖται δὲ αὐτοῦ μάλιστα ὁ περὶ Ἡρώδου sqq. (Ps. Plut. v. Ant. 20). orationem πρὸς Βοιωτὸν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος ‚οὐδεμία φιλοπραγμοσύνη' erant qui iusta ducti ratione Demostheni abiudicarent, quamquam ne

Dinarcho quidem Demosthenis imitatori attribuenda erat (Dion. de Din. 13 p. 665). de Demosthenis Ctesiphontea, quam pariter atque Dion. de comp. verb. 25 p. 204; de Thuc. hist. 54 p. 947 longe optimam censet Cicero, vide Cic. or. 26. 113; de opt. gen. or.; de Demosthenis orationibus omnibus haec habet Cic. or. 111: ‚multae sunt eius totae orationes subtiles, ut contra Leptinem; multae totae graves, ut quaedam Philippicae; multae variae, ut contra Aeschinem falsae legationis, ut contra eundem pro se in causa Ctesiphontea;' similia leguntur in Brut. 35: ‚nihil acute inveniri potuit in iis causis quas scripsit, nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum (Brut. 141; or. 136), quo quicquam esset elatius.' quo melius Demosthenis vis perspiciatur, Cicero Demosthenis et Aeschinis orationes ‚nobilissimas inter seque contrarias' Ctesiphonteas convertit ac comparavit. ut de Demosthenis, ita etiam de reliquorum oratorum scriptis iudicia fieri solebant, longe vero plurima de oratoribus ipsis, quae tamen cum ex orationibus repetita sint, etiam de scriptis valent. saepius de Pericle ceterisque decade vetustioribus oratoribus, saepius de Demade Demetrio Phalereo Charisio aliis decadem subsecutis scriptoribus, saepissime de Hegesia Asianisque oratoribus iudicat Cicero, quae iudicia omnia adferre cum longum tum supervacaneum est in quaestione de decadis oratoribus. ad unum Agatharchidae Cnidii Peripatetici et critici c. 130 vigentis iudicium facere non possum, quin provocem, qui et aliorum et Hegesiae elocutionem exemplis adlatis atque cum Stratocle Aeschine Demosthene comparatis iudicio sanequam acerrimo exagitat omniaque in eo *ἀδόκιμα* censet et *παραγράφεται* (Phot. bibl. cod. 250 p. 446 sq.). redeo ad ipsos decadis oratores. Isocratem omnes docti (h. e. critici, cf. Cic. Brut. 184. 198. 283. 320) summum oratorem esse dixerunt, eundem vero Cicero, quamquam dictionis suavitatem admiratur (de or. III 28) eumque praeter ceteros eiusdem generis semper laudare se profitetur repugnante etiam Bruto (Cic. or. 40), tamen ut pompae quam pugnae aptiorem in numerum oratorum forensium non reponit (de opt. gen. or. 17); Isocrateos, quos Peripatetici in primis carpebant, velut Aristoteles, Demetrius Phalereus, Hieronymus et Praxiphanes Rhodii, in quinto saturarum Lucilius, gracilitatis ipse exemplum

(cf. Varro ap. Gell. VI (VII) 14, 6) ob inepta et puerilia orationis ornamenta perstringit (Gell. XVIII 8). Aeschinem, in quo ‚sonitus‘ et ‚levitas et splendor verborum‘ praecipue solebant praedicari (Cic. de or. III 28; or. 110). rhetores ante Caecilium florentes Platonis vel Alcidamantis discipulum esse voluerunt, quod ut comprobarent, elocutionis similitudinem proferebant: *τὸ μέγεθος τῶν ὀνομάτων καὶ τὴν σεμνότητα τῶν πλασμάτων* (Phot. cod. 61 p. 20; Cic. Tusc. III 63; Philostr. v. s. I 18, 3). in Hyperide iam ante Demetrii Magnetis aetatem tamquam summa eius virtus celebrabatur *χάρις*, cuius non minimam partem certe facetiae efficiebant, in quibus mirum quantum eum excellentem fuisse tradit Cic. or. 90; eodem spectat laus, qua Hyperidis ‚acumen‘ et ‚argutias‘ Cicero ornat (de or. III 28; or. 110). multo plura de Lysia innotuerunt iudicia, ut quem Ciceronis potissimum aetate insigne exemplum sibi proponerent, qui Atticorum nomen sibi solis adrogabant. de Lysia falsam plerique tuebantur opinionem; nam eius ‚subtilitas imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus‘ (Cic. or. 76 = Dion. vett. cens. p. 431). cum probatissima eius virtus esset ‚subtilitas‘ (Cic. de or. III 28; or. 110), laudari solebat ut elegans acutus facetus brevis gracilis tenuis; at in eodem erant saepe etiam lacerti, sic ut fieri nihil posset valentius; verum erat certe genere toto strigosior, forensibus causis aptissimus (Cic. Brut. 35. 63 sq.; de opt. gen. or. 9; or. 30); eius venustatem praedicat Cicero or. 29; Brut. 293; *ἠθοποιίας* virtutem iam multi ante Dionysium (de Lys. 8 p. 467) in eo mirabantur; quin etiam alter paene Demosthenes audiebat in periodis saltem componendis (Cic. or. 226; Brut. 35; de opt. gen. or. 10). in Demosthene vero, qui iam ab Cleocharis Myrleani aetate in Asia princeps oratorum cognoscebatur, eo de quo agitur temporis spatio summas virtutes inesse fere una voce omnes profitebantur. eius laudatissima virtus, quae sine dubio ei concedebatur (Cic. de or. I 260; or. 133) *δεινότης* erat, quam *τόνον* vocat Demetrius Magnes (Dion. de Din. init.). Demosthene nec graviorem exstitisse quemquam nec callidiorem nec temperatiorem, eundem in tribus illis dicendi generibus aeque floruisse vidit Cic. or. 23. iam ut singulas eius dicendi virtutes persequar, Dion. de adm. vi dic. Dem. 35 p. 1062 (cf. 36 p. 1065) testatur: *ὅτι περιττή τίς ἐστιν ἡ τῆς λέξεως τῆς Δημοσθένους ἁρμονία* (compositio verborum) *καὶ μακρῷ δή τινι διαλλάττουσα τῆς τῶν ἄλλων ῥητόρων, οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος*; eius numerosam

orationem admiratur Cicero or. 234 dicens Demosthenis non tam vibratura esse fulmina, nisi numeris contorta ferrentur; quod denique sententiarum conformationibus et ornamentis omnibus praestat Demosthenes, idcirco a doctis oratorum princeps est iudicatus (Cic. Brut. 141 = or. 136; cf. Brut. 35). neque tamen deerant, qui ipsum Demosthenem quandoque dormitare et dicerent et demonstrare studerent, velut Cicero (Plut. Cic. 24) Demosthenem, quamquam unum eminere ait inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implere aures suas adfirmat or. 114; eidem concedit quidem Cicero or. 90 summam urbanitatem, sed non tam dicacem eum fuisse dicit quam facetum; in eandem sententiam etiam alii critici ante Dionysium florentes abierunt, cf. Dion. de adm. vi dic. Dem. 54 p. 1122: *πάσας ἔχουσα τὰς ἀρετὰς ἡ Δημοσθένους λέξις λείπεται εὐτραπελίας, ἣν οἱ πολλοὶ καλοῦσι χάριν;* aliorum iudicum *οἱ μὲν ὡς χαρακτηριστικὸν οἱ δ' ὡς ἁμάρτημα τοῦ ῥήτορος ἐσημειώσαντο τὸ πολλοῖς ὀνόμασι τὸ αὐτὸ πρᾶγμα δηλοῦν ἐνίοτε* (de adm. vi dic. Dem. 58 p. 1127), quorum alteros carpit Dionysius, ut qui *βραχυλογίαν ἐκ παντὸς ἀπαιτοῦσιν* (p. 1128); Demetrius denique *π. ἑρμ.* c. 250 exemplo *ἀντιθέσεως* adlato Demosthenem hac in re decorum non servasse tradit, sed *κακοτεχνοῦντι ἐοικέναι διὰ τὴν ἀνταπόδοσιν, μᾶλλον δὲ παίζοντι, οὐκ ἀγανακτοῦντι,* cuius de aetate cum nondum constet, testimonium minus curo. Demosthenis elocutionem in criticorum iudicium illo de quo agitur tempore saepissime venisse vidimus; cuius imitator felicissimus Dinarchus *παρὰ πολλοῖς ἠξιωμένος ὀνόματος ἐπὶ δεινότητος λόγων* (Dion. de Din. init. p. 630) a Demetrio Magnete verbosius uberiusque aestimatus et laudatus est; *διὰ τὸ ἐλλιπὲς τῆς οἰκονομίας* ab aliis *ἄγροικος Δημοσθένης* (Dion. ib. c. 8. p. 647) vocabatur.

Enumeravimus de oratoribus eorumque scriptis iudicia; sequitur, ut oratores ipsos inter se conlatos esse doceamus, quod quem ad finem factum sit, Dionysius de Thuc. hist. 23 p. 863 aperit: *ἀκριβέστερον γὰρ οὕτω γνώσεταί τις τὸν ἴδιον τοῦ ἀνδρὸς χαρακτῆρα.* ut a Dionysio cum Platone Andocide Critia Lysias, cum Lysia Isaeus et Thucydides, cum Isaeo Isocrates, cum prioribus historicis Thucydides, cum Lysia Isocrate Platone Thucydide summus ille orator Demosthenes comparatus est, ita iam ante Dionysium Demetrius Magnes de Dinarcho censuram agens eum *οὐδὲν ἀπολείποντα τῆς Ὑπερείδου χάριτος,* eius elocutionem solo *τόνῳ τοῦ Δημοσθενικοῦ χαρακτῆρος λειπομένην* observavit; simul tecte

significavit iam ante Dionysium, apud quem idem cernitur, fuisse qui Dinarchum Demosthenis et Hyperidis imitatorem esse cognovissent. Demetrii aequalis Cicero duo exhibet iudicia inter se similia, quae huc quadrant: de or. III 28: ,suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit. quis eorum non egregius? tamen quis cuiusquam nisi sui similis?' et Brut. 285: (non esse unum genus Atticorum, nam) ,quid est tam dissimile quam Demosthenes et Lysias? quam iidem et Hyperides? quam horum omnium Aeschines?' idem Cicero ut Demosthenem principem oratorum iure praedicari demonstret, eum cum summis oratoribus comparat ita: ,Demosthenes nihil Lysiae subtilitate cedit, nihil argutiis et acumine Hyperidi, nihil levitate Aeschini et splendore verborum' (or. 110).

Hic praeterea commemorandae sunt comparationes cum aliis praeter oratores viris inlustribus institutae. velut Cicero, ut principes quamvis sint inter se dissimiles suo quemque in genere esse egregios probet, ex fictoribus Myronem Polyclitum Lysippum, ex pictoribus Zeuxin Aglaophontem Apellem, ex tragicis Ennium Pacuvium Accium Romanos, Aeschylum Sophoclem Euripidem Graecos in medium profert atque idem in oratores cadere dicit et Graecos et Latinos, quorum in dissimili genere suae cuiusque virtutes sint laudandae.

Nunc quamquam ex iis ipsis quae attuli facile quis concluserit de oratorum dignitate ordinibus gradibus iam longe ante Caecilii aetatem quaestiones esse motas, tamen quo apertior res fiat, ea testimonia conligam, quibus id ipsum evidentius inlustratur. saepius in universum oratorum delectus significantur; summorum oratorum Graecas orationes iam Crasso adulescente solebant Romani explicare, iidem ad cognoscendum imitandumque ornatissimos scriptores oratoresque sibi proponebant (Cic. de or. I 155. III 125. 39); rhetores Graeci Cornificio superiores iique summae auctoritatis (IV 1, 1 sqq.) ab oratore aut poeta probato (probatissimo cf. 1, 2; 3, 5) sumpta ponebant exempla. aperte indicantur oratorum ordines a Cicerone, quem magna cum probabilitate in libro de claris oratoribus Romanis Graecorum exemplum secutum esse coniecimus: Graecorum oratorum ordines certe a Graecis repetivit (cf. p. 23). deinde Varronem scimus Graecorum oratorum aeque atque aliorum virorum inlustrium heptadem proposuisse, cui praeter Demetrium Phalereum

quis fuerit ascriptus in praesentia non potest erui. Demetrium etiam Magnetem et Dionysium Halicarnasensem oratorum ordines cognitos habuisse supra ostendimus (p. 17. 19 sqq.). neque quis illo tempore princeps oratorum sit habitus, in dubio relinquitur. vidit iam Cicero or. 36 in omni re difficillimum esse formam, qui χαρακτὴρ Graece dicitur, exponere optimi, quod aliud aliis videatur optimum; alium Ennio, alium Pacuvio, Accio alium delectari; varia enim esse iudicia, ut in Graecis, nec facilem explicationem, quae forma maxime excellat. atque fuerunt profecto, qui, utrum Demostheni an Hyperidi palmam deferrent, ambigerent vel etiam Hyperidem praeferrent (Phot. cod. 266 p. 495; Ps. Plut. v. Hyp. p. 849[d]; Burckhardt l. l. p. 37); quos rhetores Rhodios ante Dionysium vigentes fuisse intellexit Blass, AB III 1 p. 70. verum enimvero Demosthenem plerique principem agnoverunt maximeque, quod unum instar omnium proferam, huc facit Ciceronis iudicium: ‚Lysiam iam prope audeas oratorem perfectum dicere. nam plane quidem perfectum et cui nihil admodum desit Demosthenem facile dixeris sqq., huic Hyperides proximus et Aeschines fuit et Lycurgus et Dinarchus‘ (Brut. 35 sq. 138; de opt. gen. or. 13; de or. I 58). vides ex dignitate summos oratores esse adornatos eorumque e numero unum eminere et exstare Demosthenem. idem occurrit in Ciceronis loco notatu dignissimo or. 4—7, quo principes in maxime variis studiis unice excellentes enumerantur, atque e poetis quidem Homerus epicus, Archilochus iambographus, Sophocles tragicus, Pindarus lyricus [1]), e philosophis Plato (cf. § 62) et Aristoteles, ex opificibus Protogenes et Apelles pictores, Phidias et Polyclitus statuarii seliguntur iisque adiungitur Demosthenes, ‚qui quantum inter omnes unus excellat, admirabile est.‘[2])

---

[1]) bene Edmundus Lange, quid cum de ingenio et litteris tum de poetis Graecorum Cicero senserit, diss. Hal. 1880 p. 39—42 cognovit Ciceronem haec iudicia aliunde mutuatum esse, cum in Homero quidem multum conlocaverit studium et Sophoclis magnitudinem saepius admiratus sit, at Archilochi et Pindari carmina vix noverit. idem valere de ceteris principibus non opus est argumentari. ceterum cf. Cic. de fin. II 115; de nat. deor. I 107.

[2]) ex eodem Ciceronis loco iam tunc tres fuisse praestantiae gradus edocemur; Cicero ‚prima sequentem, inquit, honestum est in secundis ertiisque consistere‘ atque ipse adiungit, in poetis non Homero soli locum esse aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel

Sed hic finem imponamus huic de crisi in oratores conlata disputationi; quod strictim percurrimus, multo diligentius et copiosius posse pertractari probe scimus; loci tamen, si non omnes patefacti, at certe ita commonstrati sunt, ut quaestioni de canonis tempore et origine his curis non minimum adminiculum adlatum esse confidamus. etenim iam diu ante Caecilium, qui criticus eximius canonis auctor credebatur, studia critica persequi licebat, quae cum eo usque progrederentur, ut oratorum canones prodirent, non fallitur, qui etiam illam decadem tum constitui potuisse adfirmet. ubi vero studia illa floruerint, indagaturis, de Rhodo ut cogitemus, Ciceronis harum rerum locupletissimi auctoris cum Rhodiis coniunctio iudiciaque de Hyperide facta nobis videntur suadere, at eadem dissuadent potius, cum, qui Demosthenem summum oratorem a Cicerone ubique praedicatum esse secum reputaverit, ab Rhodiis, qui Hyperidem dicendi exemplar imitati sint (Dion. de Din. 8 p. 645), Ciceronem sua desumpsisse non ita facile sibi persuaserit. ex Asia igitur Ciceronis fontes Graecos maximam partem esse repetendos veri est similius; et Dionysius quidem inter criticos una cum Caecilio facile princeps, ex Asia cum esset ortus ibique eruditus, similia studia in Asia tum percrebruisse neque a scholis rhetoricis abhorruisse satis luculenter docet. et profecto inde ab Hegesia, qui ita se putabat Atticum, ut veros illos prae se agrestes (i. e. *ἀγροικοὺς* cf. iudicium de Dinarcho Demosthenis imitatore) iudicaret (Cic. Brut. 286), et Cleochare Myrleano, qui Isocrati Demosthenem praeferebat (Blass, GB 34), critica studia in Asia cerni possunt; praesto sunt, quae aetatem tulerunt, Isocratis ‚critici' et ‚grammatici', qui a Demetrio Sotere Romanis est traditus (Polyb. 32, 4. 5. 6, 5. 7, 6 sqq.), Agatharchidae deinde Cnidii imprimisque Demetrii Magnetis nomina, quorum postremus eiusmodi studia in libro *περὶ ὁμωνύμων* congessit; ex quo cum multa in Laertii indices homonymorum inlata sint (per Favorinum? E. Maass l. l. p. 46), etiam de scriptoribus iudicia, qualia saepius apud

etiam infra secundos; idemque § 6 dicit: ‚cum esset Demosthenes, multi oratores magni et clari fuerunt et antea fuerant nec postea defecerunt;' quorum ordinem si desideras, ad Hermog. *π. ἰδ.* II 11 (p. 415 sqq. Sp.) provoco, qui Demostheni primas, *τοῖς λοιποῖς τῶν δέκα* secundas, Critiae tertias adsignavit. notiones *πρωτεῖα δευτερεῖα τριτεῖα φέρειν φέρεσθαι ἀποφέρεσθαι ἀπονέμειν* sumptae sunt praecipue ab agonibus scaenicis; cf. Jahn ad Cic. or. 18; Cic. Brut. 173; Quint. X 1, 86.

Laertium reperiantur (Maass p. 47), magnam partem fluxisse pronum est conicere, cum exstet Demetrii nomine fragmentum a Diog. I 38 servatum (frg. p. 81 Sch.), ubi inter Thaletes profertur *ῥήτωρ Καλλατιανὸς κακόζηλος* (Maass p. 27 sq.). cum Demetrius de Dinarcho censuram agens *ὀνόματα κοινὰ καὶ περιτρέχοντα ἐσπούδασε* (Dion. de Din. l. 2 p. 631 sqq.), elucet iam ante eum eadem de Dinarcho iudicia innotuisse: qui cum Asiaticus esset, iudicia illa et ipsa ab Asiaticis auctoribus profecta esse non improbabilis videtur suspicio. de Pergamenorum vero crisi eximia iis ipsis temporibus summopere exculta mox videbimus.

Atque haec quidem de Asianorum crisi in universum: accedit alia quoque causa, cur in Asia potissimum canonem confectum esse suspicer. qui primus inter oratores receptus est, Antiphon primus omnium orationes iudiciales scripsit *εὑρετὴς καὶ ἀρχηγὸς τοῦ τύπου τοῦ πολιτικοῦ* (Hermog. *π. ἰδ.* II 415 Sp.; Quint. III 1, 11; Ps. Plut. v. Ant. p. 308[c]). eadem, opinor, ratio totius canonis compositioni subiecta erat. ac revera soli *ῥήτορες πολιτικοί*[1]) in numerum venerunt, neque quisquam, qui solas *ἐπιδείξεις* vel *δημηγορίας* composuit, canoni qui ascriberetur, dignus censebatur. Gorgias quidem Thrasymachus Zoilus, qui solas demonstrativas, certe nullas iudiciales composuerant orationes, ex canone exclusi sunt, at Isocrates est receptus, quod generis demonstrativi praeter ceteros princeps idem iudiciales reliquit orationes (Dion. vett. cens. p. 432 sq.). Alcidamas Polycrates Antisthenes Theodorus Anaximenes, quos oratores saepius citatos invenies, canoni non sunt accensi, quod epidictico dicendi genere omnes nimis sunt oblectati, Alcidamas insuper Polycrates Theodorus rhetorum ordini adnumerabantur (Quint. III 1, 8—11), Antisthenes in numero Socraticorum habebatur (Diog. L. II 5, 47), Anaximenes inter historicos suum obtinebat locum (tab. Bodl. et Coisl.). Demetrius Phalereus, ut unum adiungam, usque ad quem terminos promoverit canonis auctor, eadem quoque de causa in numerum non est relatus, quod eius versicolor illa vestis non bene ad forensem

[1]) i. e. in foro causisque civilibus versati, non sophisticum illud et scholasticum genus dicendi amplexi, cf. v. g. Cic. or. 28 sqq. 37—42. 61—68; de or. II 94: ‚ei, qui se ad causas contulerunt, ut Dem. Hyp. Lyc. Aesch. Din. aliique complures, etsi inter se pares non fuerunt, tamen omnes sunt in eodem veritatis imitandae genere versati'; cf. Dion. de adm. vi dic. Dem. 18 p. 1007.

pulverem fecit rerumque scriptorem magis decuit (Quint. X 1, 33), idemque criticorum iudicio orationem Atticam inflexit. sed quid inde lucramur, quod oratores Atticos in canonem relatos omnes iudicialis generis fuisse studiosos perspeximus? attigimus supra Cleocharis Myrleani iudicium, quo Demostheni priores detulit; hic subicimus verba: *οἱ μὲν Δημοσθένους λόγοι τοῖς τῶν στρατιωτῶν ἐοίκασι μάλιστα σώμασιν, οἱ δὲ Ἰσοκράτους τοῖς τῶν ἀθλητῶν*; vides rhetorem Asianum demonstrativo genus forense praetulisse, quod genus in Asia in primis excultum esse docent etiam alii rhetores, qui fere de uno iudiciali genere praecepta tradiderunt; omissis ceteris unum adfero Hermagorae exemplum, quem ,cum omnem animum ad genus iudiciale adverteret, et deliberativi et demonstrativi paene esse oblitum concedamus; quod eo facilius fieri poterat, quo magis tota constitutionum et quaestionum doctrina ad iudicia potius et iurisconsultos in criminum intentione aut depulsione versantes, quam ad deliberationes et demonstrationes pertineret'.[1]) in Asiam igitur etiam hac observatione deducimur; num eodem iure Rhodum, in tanta testimoniorum penuria non ausim confirmare, quamquam inde, quod Rhodii frequentes erant in imitatione Hyperidis, Molo in veris causis summus actor appellatur a Cicerone (Brut. 307. 316), idem conligere non videtur absonum esse.

Est illud quidem grave: gravissimum vero, quod nunc ex canonis compositi ratione cogam. Theodorus enim Bergk loco quodam historiae litterarum Graecarum ingenue profitetur non liquere, cur illi ipsi decem oratores in canonem sint coniuncti.[2]) atque profecto mira est canonis compositio, cuius explicandae difficultates qui ita removerit, ut difficillimum fuisse dicat ex Atticis idoneos ad imitandum oratores eligere, parum diligenter rem agat; manifesto compositionis rationes interiores perscrutandae sunt. quoniam non unum, sed multos oratores canonis auctor proposuit imitandos, eandem videtur normam secutus esse, quam praescripsit Quintilianus X 2, 24, quem et ipsum decadem novisse scimus (X 1, 76): ,longe perfectissimus

---

[1]) Piderit, de Hermag. rhet. p. 31; cf. p. 44 sq.

[2]) GLG I 288 sq.; causas circumspexerunt Kiessling ad Hyper. l. l. p. 138 sqq., Meier, Andoc. IV 15 sq. (III 15), Blass compluribus locis historiae eloquentiae Atticae. in primis conferendi sunt Dion. vett. cens. et Hermog. *π. ἰδ.* II 398 sqq.

Graecorum Demosthenes, aliquid tamen aliquo in loco melius alii. sed non qui maxime imitandus, et solus imitandus est.' hinc intelleges, cur praeter Demosthenem Lysias Isocrates Hyperides, quorum quisque suo in genere fuerit perfectus, recepti sint. Isaeus, qui raro quidem citatur, *μάλιστα περιφανής* evasit, quod Demosthenes, cuius *δεινότητος τὰ σπέρματα καὶ τὰς ἀρχὰς οὗτος ὁ ἀνὴρ παρασχεῖν δοκεῖ*, eum imitatus esse credebatur (Dion. de Isaeo 1 p. 588. 20 p. 628; Caecil. frg. 11 Burckh.; Blass, AB II 465); de Lycurgo vero satis frequenter a posteris laudato, cuius *χρὴ μάλιστα τὰς δεινώσεις ζηλοῦν* (Dion. vett. cens.) recte iudicaverunt Kiessling l. l., Meier l. l., Blass, AB III 2 p. 92 sqq.; porro Antiphontem iam praemisimus ceterorum quasi agmen duxisse iudicialiumque causarum primum fuisse scriptorem. restant Andocides Aeschines Dinarchus. et Dinarchus quidem in canonem receptus suspicionem movit Ruhnkenio l. c. p. 63 sq., qui ,cur Dinarcho, quem ipsi veteres hordeaceum Demosthenem vocavissent, inter decem oratores Atticos locus datus esset praeterito Callistrato et Leodamante, quorum eloquentiam iidem laudibus in caelum tulissent', non se intellegere dixit; propter librorum ingentem copiam[1]) et historiarum in orationibus traditarum dignitatem Bergk, GLG p. 289 Dinarchum oratorum canoni adnexum esse coniecit; verum ego veterum testimoniis in censum vocatis non dubito, quin, quod imitationis recte instituendae optimum erat exemplum, ideo canoni ascriptus sit; *ἐπ' ἄκρον* enim *μιμήσεως ἦλθε* (Dion. de Din. 7 p. 644) Demosthenis exemplum anxie amplexus, Hyperidis simul et Lysiae felicissimus imitator (Dion. ib.; Blass, AB III 2 p. 299 sq.). itaque ut Isaeus quasi *ἀρχέτυπον δεινότητος* Demosthenicae, ita Dinarchus quasi *κανὼν ἀποτυπώσεως* laudabatur atque etiam posteris Demosthenis imitatoribus in deliciis fuit. quid vero de Aeschine et de Andocide statuemus? cum fastidiosius alii exclusi sint, hi oratores nimis indulgenter videntur esse recepti. nam quod Kiessling ea de causa Andocidem accensum esse iudicavit, quod eius orationes ad memorabilem quandam historiae Atticae partem pertinerent, non satis, quem ad finem canon sit constitutus, attendit.[2]) Meier

[1]) 410 vel 400, cf. tabulam a Studemundo, Herm. II p. 448 e codd. restitutam.

[2]) nec persuasit C. O. Muellero, GLG II 313 sq.² aut Blassio, AB I 288. 299. 318.

quidem recte unam oratoriam vim canonis auctorem respexisse intellexit, sed idem cum Andocidem genus dicendi artis expers secutum esse cognovisset, aut rhetori artis amanti canonem abiudicare aut canonis compositi diversam rationem statuere debuit. atque posterius sine dubio verum est. nam canonis auctor certe solos Atticos oratores in numerum rettulit, verumtamen idem temporis et loci quo vigebat memor numero inseruit Andocidem et Aeschinem, quorum uterque Asianorum indoli proximus erat. nam Andocides, nulli certo generi addictus, naturali quodam spiritu ductus artem nullam ostendit, cui simillimus, sed multo maiore indole et ingenio praeditus erat Aeschines et ipse *ἀπαίδευτος, ἄτεχνος ὤν.*[1]) hac ratione inita canonis auctor normam proposuit, quam neminem eiusdem temporis prorsus reiecturum esse confideret; nam cum soli Attici recenserentur, Atticis probabatur, nec displicebat Asianis, qui etiam sui generis dicendi exempla ad imitandum proposita illic reperirent. est igitur canon quasi memorabile quoddam documentum, aliquando controversias, quae inter Asianos et Atticos gravissimae ortae essent, aliquatenus esse compositas. quod si recte est disputatum, de origine canonis Asiana nullus dubito. nam etsi Rudolfi Kroehnert l. l. p. 12 sq. (cf. 14 infra) opinio Rhodi Asianam eloquentiam nunquam probatam esse audacior est, quam ut eam amplectar, tamen oratores Rhodii, quantum quidem nobis cogniti sunt, in unius oratoris Attici imitatione nimis occupati, quo pacto alios prorsus alius ingenii oratores imitandos sibi fuerint propositurі, non dispicio.[2])

---

[1]) testimonia de Andocide et Aeschine subieci p. 28 n. 1. 2. notatu dignum est *ἀπαίδευτος* (s. *ἀμαθής, ἀνόητος*) proprium esse epitheton Asianae eloquentiae, cum vetus Atticorum eloquentia vocetur *φιλόσοφος*; cf. Dion. de orat. ant. prooem. p. 445, qui p. 446 Asianam eloquentiam *οὔτε φιλοσοφίας οὔτ' ἄλλου παιδεύματος οὐδενὸς μετειληφυῖαν ἐλευθερίου* describit. Blass, GB 6: ‚der echte Asianer war ein Veraechter der rhetorischen und vollends der philosophischen Vorbildung; Fertigkeit und Fluss im Sprechen machten ihm die wahre Beredsamkeit aus.'

[2]) Rhodiorum dicendi genus singulare quasi medium tenens inter Atticum et Asianum finxit Cicero vel eius auctor Rhodius quidam; Dionysius Caecilius Strabo nisi Atticum et Asianum dicendi genus aliud nullum noverunt. quare mihi quidem persuasum est Rhodios atque Atticos, qui dicebantur, Romanos sub unam eandemque rationem cadere, alteros tamquam Hyperidis, alteros ut Lysiae imitatores. cf. Blass, GB 3 sq. 89 sqq.; Jahn ad Cic. or. p. VI. XIII.

Quid? quod in Asiam ipse numerus denarius nos ablegat? nam quod decem potissimum oratores in canonem recepti sunt, casu evenisse minime est probabile, neque crediderunt viri docti, qui causas rationesque numeri denarii investigarunt. atque Rankii quidem sententiam, quam supra p. 7 attuli, improbat Meier, Meieri (Andoc. IV p. 14 sq.), qui ter ternos oratores secundum tria dicendi genera adornatos, Andocidem propter orationem artis expertem adiunctum esse sibi persuasit, opinionem minime probabilem iure impugnat Burckhardt (Caecil. frg. p. 11), qui Caecilium ad solas historiae leges respicientem eos, qui tum plurimi sint aestimati, Atticos oratores elegisse arbitratur; Steffen (l. l. p. 50) numero denario tamquam numero sacro ad ordines definiendos veteres esse usos adnotat; Hampe denique (l. l. p. 15) ad Rankii sententiam paullo immutatam recedit dicens: „vielleicht schwebten dem betreffenden Rhetor die X Redner vor, welche Clisthenes (Ranke: Solon) zugleich mit der Einrichtung der X Phylen zu oeffentlichen Anklaegern oder Vertheidigern bestellte;“ ego cum virorum illorum opinionibus ita consentio, ut et ipse contendam rhetorem illum canonis auctorem numero denario de industria esse usum. qui qua potissimum decade motus sit, nunc quaeritur. ut omnes gentes hominesque, sic etiam Graeci, quaecumque in numerum cogere et in ordinem digerere susceperunt, semper studuerunt numerum efficere aut divinis aut humanis rebus sancitum. numerus denarius non fuit ille quidem rebus divinis sancitus, multo vero magis a Graecis est usurpatus quam ullus alius, ut qui fuerit numerus perfectus: *ὁ δέκατος ἀριθμὸς τέλειος — λοιπὸν ὑπὲρ τὸν δέκατον ἀριθμὸς οὐκ ἔστιν.*[1]) hoc homines Graeci in vita communi vulgo utebantur, hic suam sibi vindicavit auctoritatem in libris librorumque corporibus distribuendis et componendis, hunc quasi normam quandam ac regulam studiorum saepissime in usum vocabant historici philosophi grammatici rhetores, quod exemplis comprobare et inlustrare in praesentia nihil iuvat, cum decadis usu in rebus pervulgato motum esse canonis auctorem, ut viros laude dignos in decadem coniungeret, improbabilis sit coniectura. propius ad verum

---

[1]) cf. Cramer, Anecd. Gr. Paris. IV 155 sq.; Sext. Emp. p. 209 Bkk; Schol. ad Dion. Thr. II. p. 710 Bkk.; ita allucinati sunt grammatici, ut *δέκατον* numerum a *δέχεσθαι* derivarent, ut qui quattuor primos numeros in se amplecteretur.

accesserit, si quis alias virorum decadas canonis auctori obversatas esse confirmet. sed quod de solis synegoris Atheniensibus Ranke coniecit, id multo latius patet, cum numerum denarium in rebus ad rempublicam gerendam vel administrandam spectantibus creberrime adhibitum esse observemus idque inprimis Athenis, ubi magistratuum collegia longe plurima e denis composita fuisse viris compertum habemus. quid? si rhetor ille numerum denarium quasi Athenarum proprium recognoscens eundem adhibuit, ut decem uno vinculo conligaret oratores Atticos? fortasse huc referat quis schol. ad Aesch. fals. leg. 18, ubi ad verba *τῶν δέκα πρέσβεων* haec sunt adnotata: *τῶν δέκα ῥητόρων ὁ σκάριφος· Ἰσαῖος λόγους σ′, Ὑπερείδης λόγους ρο′* sqq., unde scholiastam, ut olim canonis auctorem, denarii legatorum numeri memorem decadis oratorum, ut quae inde orta esset, mentionem iniecisse iure quodam contenderis. at ne hoc quidem ad quaestionem expediendam satis facit; etenim collegia illa viros sane denos continebant, hic vero, de quo agimus canon, decem primos amplectebatur. quare, ne de exemplorum, quae expressit canonis auctor, vi et momento quicquam detrahatur, necesse est alios canones decem virorum circumspiciamus, quippe in quibus eadem valuerit ratio primos eligendi. ac primum quidem cum novem solerent lyrici per scholas tradi, decimam nescimus quando Corinnam numero adnexam esse comperimus.[1]) quam decadem cum oratorum canone antiquiorem esse nihil sit quod statuamus, perinde est mittenda atque ea, qua philosophorum decem scholae inlustres recensentur (Cramer, Anecd. Gr. Paris. IV p. 284). nam etiamsi solae veterum scholae ante vel circa Alexandri tempora vigentes commemorantur, tamen longe post Christum natum decas est constituta; carmen quidem, in quo traditur, cui *εἰς Πορφύριον* inscribitur, nono demum saeculo compositum est (Cram. l. l. p. 388). — multo difficilior est quaestio de Socraticorum decade quam

---

[1]) cf. Melamp. schol. Dion. Thr. p. 751; Isaac. Tzetz. prolegg. ad Lycophr. I p. 252 Muell.; Ioann. Tzetz. *π. διαφορᾶς ποιητ.* in Cram. Anecd. Gr. Oxon. III 334; Petronii sat. c. 2 testimonium, quod Steffen l. c. p. 36 attulit, huc referendum esse nego, cum ‚Pindarus novemque lyrici‘ nihil aliud mihi videatur esse nisi *οἱ περὶ Πίνδαρον ἐννέα λυρικοί.* ceterum aperte erravit idem Steffen p. 36 sq., cum ab anonymo *περὶ λυρικῶν* in Boissonadii Anecd. IV p. 458 (= Didym. frg. ed. M. Schmidt p. 395) octo tantum lyricos enumeratos esse adseveraret; nam casu Sapphonem in ordine constituto neglectam esse sententiarum conexus docet.

Diogenes Laert. II 5, 47, ubi inter Socraticos dignitate reliquos praecedere Platonem Xenophontem Antisthenem (*τοὺς κορυφαιοτάτους*) docuit, commemorat: *τῶν φερομένων δέκα οἱ διασημότατοι τέσσαρες· Αἰσχίνης Φαίδων Εὐκλείδης Ἀρίστιππος.*[1]) delectum fuisse illam decadem hinc apparet, quod Suidas s. v. *Σωκράτης* multo maiores Socraticorum numeros exhibet; nam et viginti duos enumerat Socraticos et, quem adiungit minorem numerum Socraticorum Athenis natorum, ipse explet decadem. sed quando constituta sit decas, quis auctor fuerit, a quo Laertius eam receperit, non facile exploratur; itaque de hac quidem decade *ἐπέχω*; ad ceteras transeo. — tulit aetatem historicorum canon mirus ille quidem, quo continentur Thucydides Herodotus Xenophon Philistus Theopompus Ephorus Anaximenes Callisthenes Hellanicus Polybius (tab. Bodl. ap. Cram. Anecd. Gr. IV p. 197; tab. Coisl. ap. Fabric. bibl. IX p. 600); quem Hampe neque ab Alexandrinis neque ab grammatico proximorum saeculorum constitutum esse contendit, propterea quod nusquam eius mentio inciderit. atque hoc sane certissimum est post Polybium mortuum eum esse confectum, cuius vitam cum inter 204 et 122 coërceri volunt viri docti[2]), terminum nancti sumus, post quem canon certo compositus est. iam vero cum Polybium in ordine constituto nemo subsequatur historicus, quamquam posterioribus criticis alii multi probabantur, velut Timagenes a Quintiliano X 1, 75 inter optimos recensus, non ita multo post Polybium mortuum canonem illum in lucem prodiisse coniecerim eoque minus dubito, quin primo ante Christum saeculo canonem adsignem, quod Polybius, qui apud Stoicos potissimum et Romanos tunc summa valebat auctoritate (Bergk, GLG I 289), veteribus historicis est adiunctus. ne ad inferiora saecula descendamus, monet utique alter historicorum recensus[3]), qui valde corruptus praeter Thucy-

---

[1]) hoc solum Ed. Meier, Andoc. IV 7 (= Opusc. I 127) attulit exemplum, quo decem oratores a docto quodam viro (Caecilio ex eius sententia) in numerum relatos esse comprobaret, dicens: ‚an Socraticae sectae quod decem potissimum etiam ipsae numeratae sunt, non doctorum arguto acumini debetur?'

[2]) novissime de Polybii aetate disseruit E. Rohde, NRhM XXXIII p. 218.

[3]) tab. Bodl. l. l. p. 195: *ὅσοι γραφεῖς ἦτουν* (l. *ἤγουν*) *ἱστορικοί, Θουκιδίδης. Ἡρόδοτος. Ξενοφῶν. ἀγγελεύας* (*Φίλιππος ὁ Θεαγγελεύς* l. Cram.) *ἀρχάγγελος. Δομετιανός. Θεότιμος. Στέφανος. Μηνάς.*

didem Herodotum Xenophontem principes historiae solos recentes exhibet historicos, quos profecto posteriores homines libentius imitandos sibi proponebant. sed ne nimis abdita eruere conemur: historicorum canon oratorum decadi si non aequalis, at paullo posterior nostra quidem sententia erat. ratio compositionis certe alia fuit, cum secus atque in oratorum canone Polybium longe post Alexandrum florentem inter historicos receptum esse videamus. — maxime canoni, de quo agimus, adfinis est alter oratorum canon, quem ex Ciceronis Bruto 27 sqq. (cf. de or. II 93 sqq. III 59. 138) elicio. nam ex historia aliqua eloquentiae Atticae excerpens Cicero hos decem canone de quo quaeritur antiquiores oratores proposuit: Solonem Pisistratum Clisthenem Themistoclem Periclem Cleonem Alcibiadem Critiam Theramenem Thucydidem. eandem decadem Sopater prolegg. in Aristid. videtur mente complexus esse, cum haec tradidit: *τρεῖς φοραὶ ῥητόρων γεγόνασιν, ὧν ἡ μὲν πρώτη ἀγράφως ἔλεγεν, ἧς ἐστι Θεμιστοκλῆς καὶ Περικλῆς καὶ οἱ κατ' ἐκείνους ῥήτορες* qs. originis tempus circumscripturi ultimos decadis terminos inde, quod a Cicerone traditur, cognitos habemus; ex Panaetii, quem supra in disceptationem vocavimus, loco (Plut. Demosth. 13) forsitan terminum, post quem canon confectus sit, rimeris. nam quod praeter Thucydidem et Periclem Cimonem citat, ei ne hic quidem canon videtur notus fuisse. — neque defuit rhetorum Graecorum decas, quam ex Quintiliano III 1, 8—19 haud scio an probabiliter eruam. §§ 8 – 11 enim decem adferuntur rhetores, qui ante Antiphontem et Isocratem ad rhetoricen aliquid contulerunt: Empedocles Corax Tisias Gorgias Thrasymachus Prodicus Protagoras Euathlus Hippias Alcidamas [1]); cf. Cic. de or. III 126 sqq.; Brut. 30. 292. — veterum igitur et oratorum et rhetorum ante Antiphontem vigentium decades elicuisse nobis videmur, quibus nunc addimus decadem scriptorum, qui de numero egerunt, Graecorum recentiorem. nam qui eam tradit Rufinus

[1]) quae § 12 init. commemorantur, evidenter ad § 10 fin. sese applicant, ita ut, quae § 11 disseruntur de Antiphonte Polycrate Theodoro aliunde inserta esse videantur, item quae § 12 [Cicero in Bruto — composta] ex Cicerone mutuatus est Quintilianus. itaque haec videntur in fonte primario sese excepisse: § 8. 9. 10 (decem illi rhetores); § 12: ‚horum primi communes locos tractasse dicuntur Protagoras, Gorgias, adfectus Prodicus et Hippias et idem Protagoras et Thrasymachus‘; § 13: ‚his successere multi, sed clarissimus Gorgiae auditorum Isocrates sqq.‘

de comp. et de metr. orat. ed. Halm p. 581 (‚ut Cicero dicit, isti scripserunt apud Graecos: Thrasymachus Naucrates Gorgias Ephorus Isocrates Theodectes Aristoteles Theodorus Byzantius Theophrastus Hieronymus'), ipse ex Ciceronis scriptis eam sibi videtur finxisse. quod denique a quibusdam decem Sibyllae inlustres coniungebantur (Aelian. v. h. XII 35), quas Suidas s. v. *Σίβυλλα* enumerat, Aelianus IV 6 decem adfert principes in maxime variis generibus excellentes, nihil inde lucramur. itaque ut brevi complectar, vetustiorem fuisse ullam decadem, e qua haec videatur esse confecta, aliqua cum probabilitate demonstrari nequit, neque, ut fuerint canone superiores decades, ullam cognationem inter utrasque intercessisse potest probari. quae cum ita sint, profitendum nobis esset nos nescire, cur decem potissimum oratores coniunxisset canonis auctor, nisi viam veritatis patefecisset Augustus Reifferscheid, qui in ipsa Asia decem virorum exstitisse magistratum mihi indicavit, qui omnibus numeris huc faceret, scilicet *δεκαπρώτων*.[1]) ac profecto, si munus illud ante canonem conditum h. e. c. 150 in Asia viguisse potest demonstrari, summa est probabilitas canonis auctorem id secutum exemplum decem primos ex maiore oratorum numero selegisse. nec desunt certa vestigia. etenim a Romanis eo tempore, quo Asiam in provinciae formam redegerunt (a. 130), illud munus non est institutum; nam primum Romanorum decemprimi, de quibus sponte cogites, a decaprotis Asianis prorsus erant diversi, cum et alium in finem et alio modo crearentur (cf. Marquardt infra); deinde, quod sane mireris, neque in alia Romanorum provincia decaproti inveniuntur, neque in sola Asia Romanorum provincia, qualem M.' Aquilius instituit, sed per totam Asiam minorem,

[1]) de quibus haec habet I. Marquardt, Roem. Staatsverw. I (= Marquardt-Mommsen, RA IV) Lips. 1881² p. 213 sq. (1873 p. 521 sq.): ‚die *δεκάπρωτοι*, welche nicht zu identifizieren sind mit der in alter Zeit in Rom und den Municipien oft vorkommenden Commission der decemprimi, quindecimprimi, quinqueprimi, sondern in den asiatischen Staedten nicht wie die decemprimi der italischen Municipien die ersten Senatoren nach der Rangordnung des Album, sondern ein wechselnder Ausschuss der *βουλή* sind, welchem ein munus patrimonii, naemlich die Eintreibung der Steuern und die Verantwortlichkeit für jeden Ausfall bei denselben auferlegt wird, so dass er den Beamten zugezaehlt wird, waehrend die italischen decemprimi im Gegensatz zu den Magistraten als ausserordentliche Repraesentanten der Curie fungieren.' cf. L. Lange, RA, Berol. 1876³ I p. 292. 924 sqq.; Waddington in Le Bas, Inscriptions de l'Asie mineure ad n. 1176.

ita ut in ipsa Asia munus illud natum esse eluceat; postremo Romani civitatibus Asiaticis suos permiserant magistratus iura leges, imprimisque vectigalium exactio et procuratio usque ad Anastasii tempora inter praecipua civitatum privilegia remanebat.[1]) quibus perpensis etsi titulorum certa memoria non adiuvamur[2]), tamen iam ante Romanorum imperium in Asia constitutum δεκαπρώτων illud munus pervulgatum fuisse nihil obstat, quin credamus. iamque cum decaprotos in quaque Asiae parte, in Ionia Lydia Caria Phrygia Bithynia Cilicia Lycia Cypro fuisse sciamus[3]), ad eorum exemplum canonis auctorem δέκα πρώτους ex Atticis oratoribus elegisse facile nobis persuademus. hoc novo igitur argumento in Asia canonem compositum esse comprobatur.

Iam videtur liquere canonis auctorem fuisse Asianum. nam de Rhodiis vix nunc quisquam cogitet. floruit sane Rhodi eloquentia, viguit Rhodi Atticum dicendi genus, rhetores Rhodii multi nobis innotuerunt, atque etiam forense dicendi genus illic in primis videtur excultum esse, sed de criticis Rhodiorum studiis fere nihil constat, canonis compositio prorsus ab eorum ratione dicendi abhorret; aliud argumentum gravissimum paullo post proferetur. nunc quoniam ubi potissimum canon constitutus sit, videmur ostendisse, restat, ut, quando in lucem emissus sit, exploremus. quam ad quaestionem solvendam canonis compositio nescio an plurimum adferat luminis. nam quod soli Attici in canonem relati sunt, non ante Atticorum studium renatum canonem confectum esse probat; quod Asianorum habita est ratio, docet eo tempore, quo canon constitutus sit, Atticorum imitationem nondum tam late percrebruisse et tantopere omnia occupasse, ut

---

[1]) cf. Huschke, ueber den Census der frueheren Kaiserzeit p. 143; E. Kuhn, die staedtische und buergerliche Verwaltung des roemischen Reichs, Lips. 1864 I p. 55—60; Marquardt l. l. I 78. 81[2] sqq.

[2]) vetustas muneris videtur, indicari in titulo Iotapae invento CIG 4413 c: ὁ δῆμος ἐτείμησε Κόνωνα — νεανίαν ἀγαθόν, προγόνων παναρέτων καὶ δεκαπρώτων sqq.

[3]) urbes hae traduntur: Miletus CIG 2264; add. 2264 b (unde Amorgum δεκαπρώτων munus a colonis transferebatur) et Smyrna 3201 Ioniae, Philadelphia 3429. 3418 = Wadd. 650 et Thyatira 3490. 3491. 3496. 3498 Lydiae, Tralles Cariae 2929. 2930. add. 2930 b = Wadd. 610, oppidum Denizli prope Laodiceam ad Lycum in Phrygia situm 3945, Cius 3732 et Prusa Wadd. 1176 Bithyniae, Iotapa Ciliciae 4413 c. 4415 b, Patara Lyciae 4289, Salamis Cypri 2639.

Asiana eloquentia prorsus neglegi potuerit. hinc profecti canonem certo post 150 compositum esse adseverabimus. neque ita multo post in medium prolatus est, cum, ubi primum Atticos imitandi eloquentiae studiosos incessit desiderium, delectus oratorum quasi studiorum fundamentum maxime requireretur. dein postquam studiis criticis ab Aristophane et Aristarcho incohatis poetarum ordines constituti sunt, nequaquam alienum erat, oratorum, quorum imitatio in dies crescebat, canonem efficere. sed, si Panaetii locum (cf. p. 16) in disputationem vocare fas est, ante 140 decas non est constituta, cui temporum definitioni etiam id aptum est, quod Hermagoram canonis auctorem fuisse credibile non est. ex altera vero parte inquiramus oportet, quando Atticorum imitatio ita floruerit, ut Asianos respicere non esset necesse. certe iam Caesaris neque Augusti demum aetate Atticorum studium plerosque oblectaverat. praeter Hermagoram et Agatharchidam vetustissimos quos quidem certo sciamus Atticorum sectatores multi maiore minoreve iure Atticorum nomen ac famam sunt consecuti, ut e Graecis Diophanes Mytilenaeus et Menelaus Marathenus Gracchorum praeceptores (Blass, GB 88), Apollonius et Molo Rhodii, Apollodorus Pergamenus eiusque discipuli, Menedemus et Pammenes Athenienses (Cic. de or. I 88; or. 105; Brut. 332), Menippus Stratonicensis (Cic. Brut. 315), Diodorus Sardianus Strabonis (XIII p. 628 C.) amicus, Lesbonax Mytilenaeus Apollodoro paullo minor (de quo v. Blass, GB p. 163).[1] quod Molo Atticae elegantiae in primis studiosus, Asianis tam infestus, ut ex Atticis ipsum Hyperidem imitandum eligeret, ex Asia Rhodum transiit, iam ante 100 Atticorum imitationem in Asia satis percrebruisse apertum est. eandem temporum notationem evidentius explorabis, si, Atticorum studia quando apud Romanos Graecorum sectatores floruerint, breviter perlustraveris. priusquam Hortensius Asianum genus excoluit, Hermagorae disciplina Romae summopere viguit, mox Menedemi Atheniensis et Molonis

[1]) haud scio an Metrodorus Scepsius (c. 150—70), quem Asianis Blass, GB 68 accenset, huc referendus sit, quem cum *φράσεώς τινι χαρακτῆρι καινῷ χρήσασθαι* tradit Strabo XIII p. 609 C., certe Asianum genus pervulgatum exercuisse negandum est; quod vero *ἀνὴρ εἰπεῖν οὐκ ἀηδής* (Plut. Luc. 22) audit, idem Carneadis Atheniensis illius philosophi Academici in dicendo acerrimi et copiosissimi (Cic. de or. I 45) discipulus erat nec displicuit Crasso Asiae quaestori (ib. 110) Atticorum studioso, fortasse iure inter Atticorum imitatores numeretur.

Rhodii auctoritate Demosthenes et Hyperides dicendi exemplaria proponebantur; sed praecipua Atticorum imitatio c. 60 efflorescebat. tum exstiterunt Calidius Apollodori discipulus, qui iam a. 64 in foro versabatur, Caesar, Caelius Rufus (85—48), Brutus (85—42), Calvus (82—48), qui admodum adulescens in forum prodiit, Asinius Pollio (75—2 p. Ch.)[1]), qui omnes Atticorum studiosi neglecto et despecto genere Asiano, quod Romae una cum Hortensio fere evanuit (a. 50), vehementissima contentione inter se disceptabant, quem potissimum Atticum oratorem imitando exprimerent.[2]) itaque cum Atticorum imitatio c. 50 fere sola Romae floruerit, iacuerit Asianorum eloquentia, etiam inde iam ante in Asia et Rhodi idem evenisse concluseris. quae cum ita sint, Atticorum studium c. 150 in Asia renatum iam c. 100 ita praevaluit, ut postea Asianorum rationem habere non esset necesse. illo igitur ipso temporis intervallo, quo Asiani et Attici de principatu inter se contendebant, canon est confectus, ut varia oratorum studia aliquatenus consociarentur. quo proposito certe fuerint Asiani, qui eum respuerent, sed, qui eum secuti sunt, multo saniores et Atticorum similiores facti sunt (Cic. Brut. 315). Attici vero, quo maiorem auctoritatem et vim consequebantur, eo longius ab canone illo non satis probato recedebant alii alium improbantes aut imitantes, donec inter ipsos acerbissimae controversiae exortae sunt; nam Lysiam hi, Demosthenem illi, Hyperidem alii, alii Isocratem quasi dicendi exempla perfecta imitando adsequi studebant. Aeschines vero, quamquam inter principes oratorum citatur, Ciceronis et Dionysii aetate iam nullos habuit sui studiosos, quod et ipsum canonem ante Ciceronis aetatem constitutum esse confirmat. itaque si licet maxime probabilia pro veris accipere, confectus est canon post 140

[1]) adiunguntur etiam C. Scribonius Curio et Q. Cornificius; cf. O. Harnecker, qui novissime hac de re egit, ‚Cicero und die Attiker' (in Fleckeisenii annal. vol. CXXV 1882 p. 601—611) p. 604. memorabilis est Taciti locus dial. 25: ‚apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caelius et Brutus iure et prioribus et sequentibus anteponuntur. nec refert quod inter se specie differunt, cum genere consentiant'; cf. Quint. XII 10, 11.

[2]) eleganter de oratorum Romanorum contentionibus disputavit O. Ribbeck, Q. Valerius Catullus, eine litt.-hist. Skizze, Kiliae 1863 p. 18 sqq.; cf. O. Harnecker l. l. p. 610, qui et epistulis et conloquiis controversias illas agitatas esse ostendit.

et ante 100 vel, ut medium sumam, c. 125. in fine disputationis argumentum pono, quo temporum descriptio a nobis instituta aliquantum comprobatur. exstat enim decem oratorum pinax quidam, ut ita dicam, bibliographicus a Studemundo[1]) restitutus, in quo, qui plurimas orationes scripsit, primo referebatur loco et hac ratione deinceps reliqui ordinabantur; hunc pinaca ex bibliotheca esse sumptum cum Studemundo Steffen l. l. p. 8 consentit, neque ego habeo, cur dissentiam, illam bibliothecam satis amplam fuisse ratus, cum solito maiores orationum numeri singulis oratoribus sint appicti. sed de tempore mihi cum Studemundo non prorsus convenit. largior libentissime ante Dionysii et Caecilii aetatem eum esse confectum, cum orationum numeri eos, quos critici illi quaerendo constituerunt, plerumque longe superent. neque tamen ab Callimacho vel eius aetate origo pinacis ducenda est; nam novem epistulis Aeschini ascriptis de inferiore aetate edocemur. quam si recte Blass, AB III 2 p. 161 investigaverit: ‚die Zeit (der Entstehung der Briefe) kann erst die des entwickelten Atticismus sein, da die Form nicht uebel nachgebildet ist,' iam habeas terminum, ante quem illum pinacem compositum esse neges. apparet verum certe nos attigisse, cum c. 125 canonem confectum esse posuerimus, quo demum constituto pinacem illum in lucem prodiisse τυφλῷ ut aiunt δῆλον. postremo, ne quicquam videar praeteriisse, quod ad tempus definiendum aliquantulum valeat, Hesychii in veteribus oratoribus recensendis auctorem, sive Asclepiades Myrleanus (A. Daub) sive Demetrius Magnes (D. Volkmann) sive alius quis eiusdem aetatis scriptor fuerit, denarium oratorum Atticorum numerum bene novisse exploratum est.

Sed haec hactenus. idoneis puto me argumentis comprobasse canonem in Asia imitationis gratia c. 125 a rhetore quodam ex magno oratorum numero selectum esse.

---

[1]) ein Verzeichniss der X att. Redner, in Herm. vol. II p. 448 sq.; ordo hic est: Din. (410 vel 400 oratt.), Isae. (200), Lys. (190 vel 200), Hyper. (170), Demosth. (71), Isocr. (70), Lyc. (58 vel 50), Antiph. (50), Andoc. (44), Aesch. (3 et 9 epist.).

2.

Canonem Pergami ante Apollodori aetatem compositum esse.

Miro accidit casu, ut qui primus disertis verbis canonis fecit mentionem Pergamum ultro nos deferat, dico Caecilium, Apollodori Pergameni discipulum [1]), qui quod contra atque ipse sensit canonem recepit, se scholae placita anxie pieque colere ostendit. neque vero quod ita conclusimus, inductione quam vocant logici non potest conligi.

Fuit Pergamus Asiae urbs amplissima, Alexandriae in litteris colendis aemula longe celebratissima.[2]) illuc undique viri docti confluxerunt ad varia studia haurienda et promovenda.[3]) illic perinde atque Alexandriae Ptolomaeorum Attalorum summa munificentia condita et exstructa est bibliotheca, quae cum Alexandrina facile possit contendi. iam vero iis ipsis locis, quibus bibliothecae erant institutae, cernimus ex magno scriptorum numero paucos

---

[1]) cf. Th. Burckhardt l. l. p. 5, cui fere omnes viri docti astipulantur.

[2]) in primis praeter Wegeneri librum ,de aula Attalica litterarum artiumque fautrice', vol. I (un.) Haun. 1836 huc faciunt, quae disseruerunt viri doctissimi C. Wachsmuth, de Cratete Mallota, diss. Bonn. 1860; A. Reifferscheid, ind. Vratisl. 1881/82; U. de Wilamowitz-Moellendorff, Antigonus von Karystos (= Philol. Unters. v. Kiessl.-Wilam. IV) p. 1 sqq.

[3]) Alexandria (ut Carystius Sotadis filius), Athenis (Apollodorus χρονικῶν auctor), Cassandrea (Artemo), Cyzico (Neanthes), Colophone (Nicander), Epheso (Musaeus epicus, Artemidorus histor., Menander histor., Philonides math.), Mileto (Alexander Polyh.), Telmesso (Daphidas), Rhodo (Panaetius), Perga (Apollonius math.), Mallo (Crates, Zenodotus Crateteus), Tarso (Athenodorus Stoic. biblioth.), Solis (Milo pictor), Adramyttio Syriae (Demetrius Ixio gramm.), Ascalone (Ptolomaeus gramm.), Babylone (Herodicus). Pergamo studiorum rudimenta aut rationem videntur repetivisse Demetrius gramm. et Metrodorus Acad. et rhetor Scepso orti ex urbe prope Pergamum, cuius in dicione erat, sita (Strabo XIII p. 609 C.), porro Polemo Iliensis, Xenocles et Diodorus Adramyttio Mysiae profecti, Neoptolemus Parianus (Strab. XIII p. 588 C.) multique Mytilenaei, quorum cum Pergamenis propria esset Atticorum imitatio, ut Diophanes Tib. Gracchi praeceptor et Lesbonax Atticorum in primis studiosus. probabilitatem denique non videtur excedere etiam Hermagoram Temnium aliqua ratione coniunctum fuisse cum Pergamenorum studiis.

eosque praestantissimos esse electos. quod ne miremur, de scriptis et scriptoribus eos potissimum iudicare posse meminerimus, quibus bibliothecarum opes locupletissimae suppetant; scriptorum vero censuram canonum conficiendorum quasi fundamentum esse apparet. iam de uno quidem alterove oratore Attico quaestiones alibi quoque, ubi eorum orationes exstabant, institutas esse facile concedo, at decem omnium oratorum scripta, quae ad manum fuisse necesse est, non crediderim alibi nisi in bibliotheca iuncta fuisse. accedit quod, quo tempore canonem compositum esse disseruimus, Atticorum imitatio nondum percrebruit. postremo ubi decem illi secreti sunt, ibidem multo maior etiam oratorum numerus poni debet, id quod in satis amplam bibliothecam nos amandat. hanc ob causam de Rhodo cogitandum non est, cum de magnis bibliothecis illic institutis nihil sit traditum.

Quibus expositis materia quidem canonis constituendi Pergami suppetebat; fueruntne etiam, qui materia ad effingendos canones uterentur? summo iure Carolus Lehrs, de vocab. *φιλολ.* p. 395 haec adnotat: ‚non omnes, quibus scriptorum existimatio cordi curaeque erat, grammatici erant, sed fuit certus quidam ordo litteratorum, qui toti vel praecipue se ei arti dederunt, quam nos aestheticam dicimus.‘ talem ordinem Pergami fuisse inter omnes constat. hoc enim inter Alexandrinos et Pergamenos praeter alia intercessit discrimen, quod *γραμματικοὶ κατ' ἐξοχὴν* illi, *κριτικοὶ* hi fuerunt. grammaticae nomine Pergameni cuncta Alexandrinorum studia sunt amplexi, a quibus nihil aliud nisi instrumenta et quasi suppellectilem quandam ad artem criticam exercendam sibi subministrari dicebant; ex eorum sententia grammaticus tantum *ὑπερέτης* erat critici, criticus *ἀρχιτέκτονος* instar omnia, quae grammaticus larga manu suggessit, perlustrabat, secernebat quicquid aptum videbatur esse, certosque in ordines distribuebat. quod critici officium cum in quaestionibus grammaticis tribus potissimum rebus cerni pronuntiasset Crates (cf. Taurisc. ap. Sext. Emp. adv. math. I 654 sq. Bkk.) et in *ἱστορικῷ*, ubi cum paranda esset *ἡ προχειρότης τῆς ἀμεθόδου ὕλης* ‚examinaret traditarum historiarum, quae verae, quae falsae essent‘, et in *τριβικῷ*, ita ut distingueret singulorum scriptorum *τὰς διαλέκτους καὶ τὰς διαφορὰς τῶν πλασμάτων καὶ χαρακτήρων*, denique in *λογικῷ*, quod *περὶ τὴν λέξιν καὶ περὶ τοὺς γραμματικοὺς τρόπους* versaretur, in promptu est coniectura Pergamenos ut res verbaque iudicio adhibito secrevissent digessissent certis ordinibus inseruissent,

ita scriptores ipsos aestimasse et, quos dignos lectione interpretatione imitatione censuissent, e numero seiunxisse. nec desunt certa eius studii vestigia in ipsis litterarum Pergamenarum cunabulis. Cratetem enim singulari acumine praeditum criticen exercuisse cum vel inde sequatur, quod *κριτικοῦ* nomine prae ceteris insignitus est, tum ex Suetonio de gramm. et rhet. 2 p. 100 Rffsch., qui Romanos Cratete praeeunte carmina — si quorum probassent diligentius retractasse tradit. deinde hoc Cratetis legimus epigramma, quod iniuria Lehrs et B. Thiersch[1]) ei abiudicant:

Χοίριλος Ἀντιμάχου πολὺ λείπεται· ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι
Χοίριλον Εὐφορίων εἶχε διὰ στόματος,
Καὶ κατάγλωττ' ἐποίει τὰ ποιήματα καὶ τὰ φίλητρα
Ἀτρεκέως ᾔδει· καὶ γὰρ Ὁμηρικὸς ἦν.

quo de haec habet Meineke a C. Wachsmuthio, de Crat. Mall. laudatus: ,neque dubito, quin illud Cratetis epigramma eo ipso tempore scriptum sit, quo de scriptoribus in canonem vel recipiendis vel non recipiendis gravissimae quaestiones non sine ira et studio in Museo Alexandrino agitarentur. quo tempore cum alii Choerilum, alii Antimachum, alii fortasse etiam Euphorionem recipiendum dicerent, Crates, acerrimus Aristarchi adversarius, suam de hac re sententiam propositurus illud scripsisse videtur epigramma.' Cratetis denique aestimationem non ad poetas solos, sed etiam ad scriptores pedestres pertinuisse locuples auctor mihi videtur esse Suidas s. v. *K. φιλόσοφος στωϊκὸς ὃς ἐπεκλήθη Ὁμηρικὸς καὶ κριτικὸς διὰ τὴν καὶ περὶ τοὺς γραμματικοὺς* (i. e. *τῶν συγγραμμάτων, συγγραφέων*) *καὶ ποιητικοὺς λόγους αὐτοῦ ἐπίστασιν.* quod Crates scholae princeps, id eius discipuli (*οἱ Κρατήτειοι*, *ἡ Κρατήτειος αἵρησις*) sequebantur, qui eodem *κριτικῶν* nomine ornari et maluerunt et ornabantur vel cuncti vel singuli, ut Telephus *ὁ κριτικὸς ὁ ἐκ τοῦ Περγαμηνοῦ μουσείου* (Aelian. hist. anim. X 42) et Tauriscus *ὁ Κράτητος ἀκουστὴς ὥσπερ οἱ ἄλλοι κριτικοί* (Sext. Emp. adv. math. I 248). Asclepiades Myrleanus Thucydidis *πραγματείαν*, quam alii aliter diviserunt, *μεχρὶ τῶν η' διῃρῆσθαι ἐπέκρινεν* (Marcellin. v. Thuc. § 57); Panaetius Cratetis discipulus omnium Socraticorum dialogorum

[1]) Lehrs l. l. p. 395; Thiersch, ueber das Zeitalter und Vaterland des Homer, Halberst. 1832² p. 59 sqq.

solos eos veros iudicavit, quos Plato Xenophon Antisthenes Aeschines scripserunt, de Phaedonis et Euclidis dubitavit, ceteros omnes damnavit, omnino artem criticam severe adhibuit; Aristonis Chii modo quattuor libros epistularum ad Cleanthem genuinos duxit. — Quid? si in oratores Atticos idem studium criticum Pergamenos contulisse eorumque e numero decem potissimum oratores inlustres elegisse contendamus? id eo maiore faciemus iure, quia Pergami studia rhetorica eximie floruerunt. fuisse enim Pergamenorum hanc peculiarem rationem, ut rhetoricam cum grammatica coniungerent, et hoc ipsum Romanis exemplum ad imitandum fuisse docuit in scholis de arte rhetorica Graecorum et Romanorum Vratislaviae habitis Augustus Reifferscheid. testis est locuples Suetonius, qui de gramm. et rhet. c. 2 studia grammaticae a viro Pergameno primo Romam inlata esse tradit, c. 4 a prima litterarum adulescentia Romae grammaticam et rhetoricam non fuisse discretas memorat, id quod litterarum Romanarum historia abunde adfirmatur; sequitur certissima ratione grammaticam, qualem Pergameni primi Romam transtulerint, apte cohaesisse cum rhetorica.[1]) neque quod ratiocinando adsecuti sumus, ipsis Pergamenorum studiis non comprobatur. satis opinor notum est Cratetem et Pergamenos Homerum, cui inter poetas maximam dederunt operam, fontem statuisse omnium disciplinarum omnisque scientiae. quid igitur propius ad veritatem accedit, quam eosdem etiam rhetoricam artem apud Homerum observasse omnesque locos, qui in commentariis scholiis alibi nobis obveniant tale quid sapientes, ad eos potius tamquam auctores esse referendos, quam ad Alexandrinos, a quibus omnia repetere iam consuerunt viri docti.[2]) id comprobatur etiam prolegg. Hermog.

[1]) etiam quae subsequuntur apud Suetonium, Pergamena studia inlustrant: ‚secundum quam (scil. veterum) consuetudinem posteriores quoque existimo, quamquam iam discretis professionibus, nihilo minus vel retinuisse vel instituisse et ipsos quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam, ut problemata, paraphrasis, allocutiones, ethologias atque alia hoc genus; ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur.‘ hoc est: grammatici veteres simul progymnasmata rhetorica Pergamenorum, ut consentaneum est, secuti exemplum studiosis tradiderunt.

[2]) propterea vix ambigi potest, quin Crateti totus locus schol. ad Hom. Il. 496 sq. Bkk., quem adfert Wegener, de aula Attal. p. 136, sit reddendus; prorsus deinde studiis Pergamenis conveniant loci Cic. Brut. 40. 50; Strab. I c. 5. 6. p. 17 sq. C.; Dion. H. p. 418 sq. 97. 187. 1083;

π. στασ. ap. Speng. συναγ. p. 210 sq. (cf. p. 7): καὶ ὅτι Ὅμηρος τὰ σπέρματα τῆς τέχνης (ῥητορικῆς) κατέβαλεν, ἐδήλωσε Τήλεφος ὁ Περγαμηνός, ὅστις τέχνην συγγραψάμενος ἐπέγραψε περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον ῥητορικῆς κἀκεῖ περὶ τῶν ιγ' συνεγράψατο στάσεων, quem Telephum Suidas s. v. etiam περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ σχημάτων ῥητορικῶν scripsisse tradit. quibus perpensis non dubito, quin, quod Homerus ,oratoria etiam virtute eminentissimus omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedisse' dicebatur (Quint. X 1, 46 sqq.), haec Pergamenorum fuerit opinio. atque etiam quod de Homero certo iudicio exploratum est, idem in ceteros poetas quadrare censeo, quatenus aut ῥητορικῶς percensos[1]) aut ad praecepta rhetorica, praecipue de compositione et elocutione[2]), eos adhibitos esse scimus. nam Alexandrinos grammaticos illo quidem, de quo agitur, temporis spatio rhetoricae operam dedisse supra negavimus; ergo poetae hunc ad finem ab iis non sunt tractati. — iam inde quod Pergamenos cum studiis grammaticis rhetorica iunxisse observavimus, facile intellegitur, quanti duxerint rhetoricen. nunc ad ipsa Pergamenorum studia oratoria nos convertamus ac primum, de pinacibus rhetoricis numquid constet, quaeramus. Alexandrinorum tabulis in usum vocatis atque, ubicunque e re erat, impugnatis Crates aliique

---

Demetr. π. ἑρμ. 130; Ps. Long. π. ὕψ. p. 24. 31; Quint. X 1, 46—52. V 12, 14. VII 10, 11. XII 10, 64 sq.; Plin. n. h. XVII 5; Hermog. π. ἰδ. II 317. 405 sqq.; exc. Long. I 326 Sp., aliorum.

[1]) plurimum oratori lectionem poetarum conferre iam Theophrastus multis probavit (Quint. X 1, 27), postea vero exstiterunt, qui, quid ex poetis suum in usum orator conferre posset, diligentissime perpendebant et secundum hanc normam praestantiam poetarum definiebant ordinesque constituebant diversos a grammaticis (e. g. Quint. X 1, 53); huc referendi sunt Cicero Dionysius Demetrius Ps. Longinus Quintilianus, qui certe non primi hanc studiorum rationem inierunt.

[2]) sic a poetis totam de numeris et periodis doctrinam mutuati sunt rhetores (Cic. de or. I 70. III 174 sqq.; or. 55. 174 sqq. 201 sq. 227; Dion. H. p. 57. 156. 221. 1102; Demetr. π. ἑρμ. c. I. 4; Philod. π. ῥητ. IV 6 col. XLIV 9 ed. Gros, cf. p. 176; Volkmann, Rh. 443; Blass, AB II 143—145. 549 sq.); dictionis et compositionis plerumque austerae et gravis, figuris distinctae et exornatae exempla suppeditabant poetae (Cic. de or. I 70; or. 202; Quint. VIII 6, 19. 25. 27. 29. 40. 47. 52. 60 sq. 66. IX 1, 13. 3, 44; Plin. ep. V 8; schol. in Dem. Olynth. I 2. 20; de fals. leg. 69. 110; in Timocr. 104). omnino rhetores γυμνασίας ἕνεκα ἐν τοῖς ποιηταῖς γυμνάζεσθαι solebant (Porphyr. schol. Il. K 204; Volkmann, Rh. 332), quibus proximam cum oratoribus cognationem esse putabant (Cic. de or. III 27).

τοὺς Περγαμηνοὺς πίνακας συνταξάμενοι[1]), quicquid in bibliotheca Pergamena adservabatur, in tabulas rettulerunt. de quibus disserturo praesto est notabilis ille locus Athenaei VIII 336[de], ex quo si nihil amplius, hoc certe evadit Pergamenos pinaces pleniores mediae comoediae tabulas esse complexos: ἐγὼ οὐκ ἀπήντησα τῷ δράματι (Alexidis Ἀσωτοδιδασκάλῳ) — ἀλλ' οὐδ' ἀναγραφῆς ἀξιωθέντι σύνοιδα. οὔτε γὰρ Καλλίμαχος οὔτε Ἀριστοφάνης αὐτὸ ἀνέγραψαν, ἀλλ' οὐδ' οἱ τὰς ἐν Περγάμῳ ἀναγραφὰς ποιησάμενοι; vocem οὐδὲ non esse otiosam mihi persuasum est, recteque Ed. Meier l. l. 13 = 93 in hanc disputat sententiam: ,magna vero auctoritate erant Pergamenae tabulae ab grammaticis Pergamenis factae, quae ut erant aetate posteriores, ita etiam superioribus videntur diligentiores vel certe ampliores fuisse.' iam videtur mirum esse, quod praeter comicorum pinaces solae oratorum tabulae citantur, sive id forte fortuna factum est sive hos ipsos pinaces pleniores et accuratiores posteri duxerunt. posteriorem ego amplector sententiam, quia, cum eloquentia in Asia summa floreret auctoritate, oratorum praecipue scripta undique conligendi Pergami maxima exorta est necessitas. quamquam Dion. H. p. 630 de pinacibus rhetoricis Pergamenis non minus inique iudicat, quam de Callimachi tabulis, tamen reputantes nobiscum apud Dionysium de Dinarcho agi, ut cui dicendi forma minime constiterit, neglegentiam quandam Pergamenis condonabimus, cum praesertim alio ex loco consequi videatur Pergamenos in tabulis rhetoricis componendis uniuscuiusque atque etiam Dinarchi indolem accuratius spectasse. Ps. Dinarchi enim oratio κατὰ Δημοσθένους παρανόμων ,εἰώθατε, ὦ ἄνδρες', teste

---

[1]) Cratetem pinacas confecisse negant O. Schneider et A. Nauck, confirmant Wegener Meineke Ed. Meier C. Wachsmuth, quibuscum facio. magna cum veritatis specie Meier, Andoc. IV 14 = Opusc. I 94 ,fortasse praeter ipsum Cratetem Artemonem, Asclepiadem Myrleanum, Athenodorum Solensem Stoicum, Carystium Pergamenum, Demetrium Scepsium, Democritum Pergamenum, Herodicum, Corn. Alexandrum Polyhistorem, Tauriscum in illarum tabularum conficiendarum societatem vocatos esse' coniecit. curas bibliographicas certe prodit Artemo, qui de libris conligendis et adhibendis scripsit; nec dubito de Asclepiade Myrl. cf. Marcellin. vit. Thuc. 57; E. Rohde, NRhM XXXIII 173 sqq. n. 4; A. Daub l. l. p. 457 sq. n. 47; de Athenodoro bibliothecario constat; Carystium Pergamenum διδασκαλιῶν auctorem novimus ex Athen. VI 35 d ; de ceteris minus probabilis est Meieri suspicio, nisi quod Herodicus et Tauriscus Cratetis sunt discipuli.

Dionysio p. 661 ἐν τοῖς Περγαμηνοῖς πίναξι φέρεται ὡς Καλλικράτους; Dionysius ipse iudicium de auctore detrectat, cum nullas unquam Callicratis orationes repperisse se profiteatur, qui quoniam Callimachi de hac oratione sententiam non commemorat, perspicuum est Callimachum, ad cuius tabularum exemplar Dionysius suos condidit pinaces, nullo vel falso titulo tradito temere Dinarchi illam censuisse orationem. Pergamenos diligentius rem curantes Dinarcho abiudicasse atque Callicrati ascripsisse; iam cum adiungat Dionysius ,ὅτι δὲ πάμπολυ τῶν Δεινάρχου λόγων ἀφέστηκεν (ὁ λόγος), εὐτελής τε ὢν καὶ κενὸς καὶ οὐκ ἀπέχων ἰδιωτικῆς φλυαρίας, πείθομαι, manifestum est Pergamenos, quorum ratiocinationem aperte sequitur Dionysius, hac in re diiudicanda κριτικῶς egisse. quid vero impedit, quominus etiam aliis in rebus Pergamenos eandem illam normam secutos esse suspicemur? — iam rhetores ipsos, qui deinceps Pergami florebant, perlustratum eo. atque primus nobis occurrit Neanthes Cyzicenus, quem etiam ea de causa, quod περὶ κακοζηλίας ῥητορικῆς scripsit[1]), id quod de Philisci († c. 320) discipulo vix quisquam contenderit, eundem puto cum Neanthe Attali I aequali.[2]) sequitur Artemo[3]), quem iis, qui Crateti in adornanda bibliotheca adiuncti erant, praecipue adnumeraverim, cum eo nos inducant scripta περὶ συναγωγῆς βιβλίων et περὶ βιβλίων χρήσεως, qualia scripsisse traditur ab Athen. XII 515[de]; XV 694[a]. in iis Artemonem etiam de oratorum et rhetorum scriptis egisse haud leviter conicimus; immo cum eidem ascribamus Artemonis cuiusdam τῶν Ἀριστοτέλους ἐπιστολῶν ἀναγραφὰς atque apud Demetrium π. ἑρμ. 223 iudicium legamus de epistularum charactere, quem non valde ab dialogis recedere censet Artemo, nostro iure suspicamur Artemonem singulis scriptorum indicibus (i. e. ἀναγραφαῖς) praemisisse notas quasdam

---

[1]) cf. p. 31 n. 1; p. 34.

[2]) cf. Meier, Pergam. Reich p. 4; Blassio, AB II 423 adsentior, qui duos fuisse Neanthes statuit. praeter alios Neanthe auctore usus est Demetrius Scepsius (cf. frgm. 50 Gaede), cuius aetas cum inter 214 et 140 cohibeatur, quando Neanthes vixerit, aliquantum definire licet. iam cum Neanthis περὶ Ἄτταλον ἱστορίας non (vel non diu) ante Attali mortem scriptas esse satis sit probabile, c. 270—180 vitae eius terminos ponam.

[3]) cf. Pauly, Encyclop. I 2 p. 1819 sq. n. 3. 4. 7. 10. 11; Wegener l. l. p. 192—194; E. Heitz, die verlorenen Schriften des Aristoteles, Lips. 1865 p. 283 sqq.; Birt, Buchwesen p. 497 n. 1.

generales cum alia tum genus dicendi et scribendi spectantes. Artemonem rhetorem, quem saepius citat Seneca rhetor, iure Nicetis c. 30 a. Ch. vigentis aequalem fuisse confirmat Hugo Buschmann.[1]) multa deinde ad artem rhetoricam attulit Telephus Pergamenus Crateteus (cf. Suid. s. v.), neque tamen constat eum illius fuisse aetatis; nam duos certe Telephos, quorum alter Hadriani aetate floruit, inter se confundit Suidas. maiore iure huc refertur Democritus Pergamenus, qui a Demetrio Magnete *π. ὁμων.* p. 61 Scheurl. inter Democritos ultimus citatur: *ἕκτος Περγαμηνὸς ἀπὸ ῥητορικῶν λόγων.* cum Demetrius Ciceronis fuerit aequalis, Democritum ante Ciceronis tempora viguisse manifestum est; eundem Democritum memineris Meierum voluisse in pinacibus conficiendis Crateti ad manum fuisse. adiungo notissimum illum Alexandrum Polyhistorem, quem quamquam cum Alexandro Lychno rhetore Ephesio eundem fuisse mihi non persuasit Wegener p. 200 n. 11, tamen ad artem rhetoricam aliquantulum contulisse verba ex libro argumenti rhetorici desumpta (schol. Hermog. *στασ.* c. 17 codd. Monac. et Paris. in Rh. Gr. VII 1 p. 245 W.) videntur indicare haec: *ὁ τοίνυν Ἀλέξανδρος ὁ Πολυΐστωρ ὄνομα ἔχων οὕτως ὁρίζεται· διαίρεσις, φησί, ἐστὶ τομὴ τοῦ περιέχοντος ζητήματος εἰς τὰ περιεχόμενα ζητήματα, ἢ τομὴ τοῦ συνεζευγμένου ζητήματος εἰς τὰ συνεζευγμένα ζητήματα.* succedit aliquanto notior rhetor et orator Pergamenus, dico Isidorum, qui in numero eorum, qui a Gorgia in Rutilii excerptis adferuntur (II 16 ad antitheseos figuram inlustrandam), est recentissimus; natu enim minor erat Athenodoro Pergameno illo Stoico, qui Romae in Catonis domo obiit.[2]) omnium vero Pergamenorum rhetorum, qui ante fuerant, laudes videtur obscurasse vir summi in rebus rhetoricis momenti Apollodorus Pergamenus[3]), qui quanta apud aequales floruerit

---

[1]) Charakteristik der griech. Rhetoren beim Rhetor Seneca, progr. gymn. Parchim. 1878 p. 8.

[2]) Wegeneri, qui Athenodorum circiter ab a. 172 usque ad a. 87 vitam produxisse computavit, temporum circumscriptionem reicit Piderit, de Apollodoro Pergameno et Theodoro Gadarensi rhetoribus, Marburg. progr. 1842 p. 9, quo iudice post 66 demum Athenodorus diem supremum obiit.

[3]) eius aetatem Pideritium l. l. secutus recte Blass, GB 155 ita definivit, ut c. 20 a. Ch. mortuum, paullo ante 100 natum esse cum statuerit. de eius vita discipulis disciplina auctoritate praeter Pideritium et Blassium

auctoritate, inde optime cognoscas, quod ab eo potissimum Octavianum iuvenem Iulius Caesar, et ipse artis dicendi sollertissimus iudex, in arte rhetorica institui voluit, exstititque secta eius nomine insignita, quanta apud posteros, quod eius vestigia plurimi rhetores presserunt. ex ceteris, qui Pergamo orti sunt, rhetoribus, duo nobis occurrunt Apollodori discipuli: atque prior est Dionysius Pergamenus Atticus, de quo Strabo XIII 625 C. haec habet: *μαθητὴν δ' ἔσχεν* (Apollodorus) *ἀξιόλογον Διονύσιον τὸν ἐπικληθέντα Ἀττικόν, πολίτην αὐτοῦ· καὶ γὰρ σοφιστὴς ἦν ἱκανὸς καὶ συγγραφεὺς καὶ λογογράφος.* Dionysius quidam Aeschinis dicendi genere oblectatus, quem sophistam citat Phot. cod. 61 p. 20, idem videtur fuisse cum Milesio Hadriani aetate vigente. iniuria Dionysio Pergameno Weiske libellum *π. ὕψους*, cui inscribitur *Διονυσίου ἢ Λογγίνου*, attribuit, qui et aliquanto post et a Theodori Gadarensis quodam sectatore scriptus est. contra a probabilitate non valde recedit Westermanni coniectura, qui G.d.B. I p. 186 sq. hunc cum Dionysio filio eius Dionysii, qui filii Ciceronis magister erat (Sen. contr. I 4, 11; Buschm. p. 20) eundem putat; nam quod apud Senecam Dionysius declamator magis elegans quam vehemens audit, in Apollodori discipulum prorsus quadrat. manifesto eum Quintiliánus III 1, 18 commemorat, cum Apollodori praecepta diligentissime e Latinis Valgium tradidisse dicit, e Graecis Atticum, qui praeceptoris vestigia insecutus artem rhetoricam accuratius et uberius videtur perlustrasse (cf. Blass, GB 158). utrum Pergamenus fuerit an Halicarnasensis, quem Quint. IX 3, 89 inter scriptores de figuris citat, non ita facile diiudicatur; quodsi ex temporum ratione sese excipiant, Pergamenum potius illum Dionysium fuisse suspiceris. alter Apollodori discipulus fuit Moschus Pergamenus[1]), de quo apud Sen. rhet. contr. II 5 (13), 13 haec leguntur: ‚novi declamatores post Moschum Apollodoreum, qui reus veneficii fuit et a Pollione Asinio defensus, damnatus Massiliae docuit, et hanc quaestionem in hac controversia fecerunt‘ (locus est corruptus). eundem Moschum Apollodoreum Horatius

---

p. 70. 155 sqq. 159. 175 cf. Cas. a Morawski, NRhM XXXIV 370 sqq.; Bernhardy, GLG I 577³; U. de Wilam.-Moell., Herm. vol. X 335; Buschmann l. l. p. 3. 7; A. Reifferscheid l. l. p. 5. quae O. Gruppe, quaest. Annaeanae, Sedini 1873 p. 40 sq. nova contulit, fere omnia sunt perversa.

[1]) Buschmann p. 20; addidit nonnulla, qui Buschmanni opusculum recensuit, Bursian, Jahresber. vol. XXII 1880. 2. p. 141 sq.

ep. I 5, 9 commemorat, cuius de vita haec habet Horatii scholiasta Porphyrio: ,Moschus hic Pergamenus, rhetor nobilissimus, reus veneficii fuit, cuius causam ex primis tunc oratores egerunt, Torquatus hic — et Asinius Pollio.' Horatii epistulam si c. 20 a. Ch. compositam esse pro comperto acceperimus[1], causam, qua Moschus implicitus erat, paullo ante fuisse statuemus Moschumque ipsum c. 25 Romae rhetorem nobilissimum floruisse contendemus. cum Bursiano facio, qui contr. VII 3, 8 (codd. noscum, cf. II 5 (13), 13: noscum A, moscum BT, V) et X praef. 10 (codd. Oscus) Moschi nomen restituendum esse iudicat. iam ad inferioris aetatis studia disputationem deducturi Pergami etiam post Christum natum studia rhetorica non exstincta esse animadvertimus. etenim cum altero saeculo studia oratoria retractarentur, etiam Pergami exstiterunt, qui priscam gloriam revocarent, quorum princeps Aristocles eximia florebat auctoritate (Philostr. v. soph. II 3). eius discipuli et ipsi excellentes erant Heraclides Lycius (Phil. ib. II 26), Rufus Perinthius (ib. 17), Euodianus Smyrnaeus (ib. 16), Athenodorus (ib. 14; cf. 11), imprimisque Aristides Adrianus (ib. 9), sophistarum illius aetatis princeps. inter rhetores *εὐδοκίμους* Chresti discipulos refertur Nicomedes *ὁ ἐκ τοῦ Περγάμου* ab eodem Philostrato l. l. II 11. Marcellum quendam rhetorem Pergamenum adfert Suidas s. v. *Μ. ῥήτωρ Περγαμηνός. ἔγραψε βιβλίον Ἀδριανὸν ἢ περὶ βασιλείας.* ultimus, qui singulari laude inter veteres excellebat, est Galenus natus 131 p. Ch., de quo Suidas s. v. haec tradit: — *ὁ διασημότατος ἰατρὸς — πολλὰ συντεταχὼς ἰατρικά τε καὶ φιλόσοφα, ἔτι δὲ γραμματικὰ καὶ ῥητορικά, ἅτινα διὰ τὸ πᾶσιν εἶναι γνώριμα καταλέγειν ἄκαιρον ἡγησάμην ἐν τῷ παρόντι.* quibus absolutis nemodum dubitabit, quin Pergami studia rhetorica usque summo vigore floruerint. illic igitur maiore iure, quam Alexandriae vitarum[2]) scholiorum

[1]) C. Franke, fasti Horatiani, Berol. 1839 p. 201—204.

[2]) ne omnes oratorum biographias ab Alexandrinis grammaticis repetendas esse credideris; immo reputaveris tecum, quibus locis rhetorice in primis exerceretur et oratores recenserentur, iisdem certe fuisse, qui praefandi gratia oratorum vitas enarrarent; quo de certum testimonium exstat Demosth. vit. p. 302 West. certe probabiliter A. Schäfer, ZFAW 1848 p. 266 coniecit Ps. Plutarchi decem oratorum vitas in rhetorum scholis esse exortas, dubitanter cogitavit de Athenis; cum pleraque ex Caecilio et Dionysio decerpserit Ps. Plutarchus, de rhetorum in Asia vigentium

lexicorum[1]) argumentorum ad oratores pertinentium auctores quaesitaveris, illic multos de artis rhetoricae partibus variis libros, quos in Asia scriptos esse supra probavimus, in lucem prodiisse conieceris.[2]) Dionysius certe et Caecilius, summi illi oratorum critici, Pergamenas copias in usum suum convertebant, cum Dionysius tabulas Pergamenas excerpsisset et cum Apollodoro aliisque Pergamenis Romae certo congressus esset, Caecilius Pergamenorum discipulus et sectator similia scripta, atque in Asia orta esse vidimus, composuisset.

De Pergamenorum studiis rhetoricis satis multa disseruimus: nunc eloquentia qualis ibi fuerit quamque apta canonis compositioni, videamus. atque Asianam eloquentiam etiam Pergami aliquamdiu viguisse consentaneum est; nam ut in Caria Phrygia Lydia, sic veterum testimoniis in Mysia, ubi Pergamus sita erat, Asiana eloquentia est dominata. evanuit, si Dionysium audire volumus, eloquentia Attica *ἐν πάσῃ πόλει καὶ οὐδεμιᾶς ἧττον ἐν ταῖς εὐπαιδεύτοις*, Asiana *καὶ τὰς τιμὰς καὶ τὰς προστάσεις τῶν πόλεων — εἰς ἑαυτὴν ἀνηρτήσατο.* sed iidem Pergameni, cum Atheniensibus intima iuncti familiaritate[3]), cum summopere in arte rhetorica essent occupati, celerius quam reliqui Asiatici ad veteres Atticorum artes et orationes redibant.[4]) iam singulos viros hac laude excellentes percensurus primum adfero Antigonum

---

officinis, ut ne dicam de schola Pergamena, ad quam Caecilius certe nos amandat, maiore iure cogitaveris; quod Ballheimer l. l. p. 32 Didymum communem Dionysii Plutarchi Photii fontem fuisse coniecit, mihi non persuasit.

[1]) satis certa est eorum opinio, qui Caecilium Pergamenorum sectatorem lexicon rhetoricum condidisse contendunt; talia lexica, quoniam studia grammatica rhetoricis iuncta ostendunt, per se maiore probabilitate ad Pergamum referuntur quam ad Alexandriam.

[2]) quod Tauriscus *τρόπων γραμματικῶν* mentionem disertam facit, facile consequitur etiam alios *τρόπους* i. e. *ῥητορικοὺς* Pergami notos nec omnino *π. τρόπων* scripta a Pergamenis aliena fuisse.

[3]) cf. C. G. Zumpt, ueber den Bestand der philos. Schulen in Athen, Berol. 1843 p. 10 n. 1; Wilamowitz, Antig. p. 159 sq.

[4]) obiter moneo plerosque Pergamenos eosdem Stoicorum doctrinam professos esse, eamque ob causam veri est simile eos astrictiorem aliquantoque contractiorem orationem id est ab Asianis diversissimam adamasse; cf. Cic. Brut. 120; de or. III 66; Brutus Stoicus Demosthenis amantissimus ne Isocratem quidem probavit, cf. Cic. or. 40.

Carystium[1]), quem Lyconis Peripatetici dictionem nimis Asianam carpsisse adnotavit Wilamowitz p. 79, qui de Antigoni ipsius elocutione Atticorum similiore p. 80 pauca adnexuit. eius fere aequalem Neanthem Cyzicenum, quod περὶ κακοζηλίας ῥητορικῆς libellum composuit, Asianorum corruptam elocutionem exagitasse patet. quo iure Diophanem Mytilenaeum huc referam, non est in obscuro; veri enim est simillimum Mytilenaeum a Pergamenis vicinis Atticorum studio esse imbutum. sed quid opus est haec remotiora conquirere, cum praesto sit luculentissimum Apollodori Pergameni exemplum? quem Atticorum severum sectatorem fuisse, ut certa tantummodo argumenta conligam, testes sunt Calidius, in quo uno Cicero Brut. 274—279 totam Apollodori normam videtur descripsisse[2]), Dionysius et Vipsanius discipuli Atticorum cognomine ornati, Caecilius, de quo supra accuratius disputavimus, Caesar, apud quem inter Romanos ἀττικώτατον Apollodorus plurimum valebat, Augustus, quo imperatore Atticorum amantissimo de principatus

[1]) tres Antigonos num iure Wilamowitz unum eundemque fuisse statuerit, cum satis sit difficile ad diiudicandum, ego in medio relinquo; Hermannus quidem Diels cetera eius inventa iusta laude praedicans hac ipsa de re dubitationes movit (DLZ 1882 n. 17 p. 604 sq.). Wilamowitzio auctore Antigonus Attali I aetate (241 — 197) senex Pergami degebat; idem R. Koepke, de Antigono Carystio, diss. Berol. 1862 p. 2 contendit, Antigonum Carystium celebrem fuisse ratus Euergeta et Philopatore Ptolomaeis regibus i. e. c. 250—200, a quo tamen diversum fuisse duxit Antigonum Pergamenum statuarium; circa idem tempus statuarium fuisse cum Silligio, catal. artif. p. 53 consentiunt Koepke Scheurleer (de Dem. Magn. p. 30 sq.) Wilamowitz; in Attali primi et alterius Eumenis aetatem, qui circa 170 Gallos prorsus devicit et fregit, statuarii florem incidisse eumque etiam post 167 vixisse Brieger, de font. Plin. p. 30 sq. et Ed. Meier, Perg. Reich p. 70 maiore puto probabilitate adseveraverunt; cf. etiam Preller, Polem. frg. p. 97 sqq. Brunn, GgK I 442, quamquam Eumene priore et Attalo Antigonum viguisse veri esse simile coniecit, concessit tamen et ipse posse dubitari, utrum priorem an alterum Eumenem Plinius 38, 84, ex quo quaestio pendet, spectaverit.

[2]) ex re videtur esse pauca hic ex Cicerone repetere, qui postquam Calidii orationem puram, artificiose compositam, astrictam numeris, luminibus distinctam admiratus eumque, τὸ κρινόμενον ubi esset, bene perspexisse professus est, haec adiungit § 276: ‚accedebat ordo rerum plenus artis, actio liberalis totumque dicendi placidum et sanum genus . . . (cum et docere et delectare optime posset) aberat tertia illa laus, qua permoveret atque incitaret animos . . . nec erat ulla vis atque contentio, sive consilio, quod eos, quorum altior oratio actioque esset ardentior, furere atque bacchari arbitraretur, sive quod natura non esset ita factus, sive quod non consuesset sqq.‘

gradu prorsus detrusi sunt Asiani; Atticum denique inde eum cognoscas, quod ad veterum oratorum et rhetorum Atticorum scripta sese applicavit in praeceptis rhetoricis confirmandis vel refutandis (Anon. *τεχν.* 431. 441; Spengel, *συναγ.* p. 13 sq.) idemque condemnavit furorem Asianum (Cic. Brut. 276; Sen. rhet. contr. X prooem. 14—16. II 1, 36), a quo tantum afuit, ut libri eius vel aridissimi appellarentur (Tac. dial. 19). idem Atticorum studium, donec Apollodori discipuli vixerunt, Pergami obtinuit. neque inferioribus saeculis evanuit. prorsus Apollodoreum describi opinaberis, si percensueris, quae de Aristocle tradit Philostratus v. s. II 3: *ἡ δὲ ἰδέα τοῦ λόγου διαυγὴς μὲν καὶ ἀττικίζουσα, διαλέγεσθαι δὲ ἐπιτηδεία μᾶλλον ἢ ἀγωνίζεσθαι, χολή τε γὰρ ἄπεστι τοῦ λόγου καὶ ὁρμαὶ πρὸς βραχύ, αὐτή τε ἡ Ἀττίκισις, εἰ παρὰ τὴν τοῦ Ἡρώδου γλῶσσαν βασανίζοιτο, λεπτολογεῖσθαι δόξει μᾶλλον ἢ κρότου τε καὶ ἤχους ξυγκεῖσθαι*; etiam quae II 14 de Athenodoro et II 9 de Aristide eius discipulis apud eundem Philostratum scripta sunt, huc faciunt. quae cum ita sint, Pergami, ubi Asianam eloquentiam paullatim exceperit Atticorum imitatio, copiam canonis qualis hic est constituendi adfuisse nemo infitias ibit. accedit, quod, qui solos forenses oratores in canonem recepit, Pergamenam respexit consuetudinem; Apollodorum quidem solo iudiciali genere in sua arte contentum fuisse Quintilianus III 1, 1 (cf. II 15, 12) disertus est testis.

Haec omnia, quae de canonis origine Pergamena disputavi, ad persuadendum puto satis fuisse accommodata: de numero denario nunc quispiam me monuerit. ac profecto *δεκαπρώτων* munus, quod exemplar canonis auctori obversatum esse veri est simillimum, Pergamenis non fuit ignotum, siquidem pleraeque Asiae urbes regno Pergameno erant attributae, Tralles insuper et Philadelphia, ubi *δεκαπρώτους* fuisse supra adnotavi, cum Pergamo apte iunctae erant[1]); neque quisquam instituta Asiana satis pervulgata rhetori Pergameno cognita esse potuisse serio negaverit. at in promptu est gravissimi momenti testimonium, quo canonem Pergami compositum esse etiam dilucidius intellegitur. exstant enim duae artificum decades huic nostrae simillimae, quas Pergamo originem duxisse mihi quidem persuasum est. Quintilianus, ubi, qui deinceps inde ab artium primordiis usque ad summum florem pictores et statuarii

[1]) cf. Meier, Perg. Reich p. 2. 26; Steph. Byz. s. v. *Φιλαδ.*

sese extulerint, pluribus disseruit, simul tradidit et pictorum et statuariorum decadem (XII 10, 3 sqq.)[1]:

(3) ,primi, quorum quidem opera non vetustatis modo gratia visenda sint, clari pictores fuisse dicuntur Polygnotus atque Aglaophon, quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa prope rudia ac velut futurae mox artis primordia maximis, qui post eos exstiterunt, auctoribus praeferant, proprio quodam intellegendi, ut mea opinio fert, ambitu. (4) post Zeuxis atque Parrhasius non multum aetate distantes, circa Peloponnesia ambo tempora (nam cum Parrhasio sermo Socratis apud Xenophontem invenitur) plurimum arti addiderunt. quorum prior luminum umbrarumque invenisse rationem, secundus examinasse subtilius linias traditur. (5) nam Zeuxis plus membris corporis dedit, id amplius atque augustius ratus atque, ut existimant, Homerum secutus, cui validissima quaeque forma etiam in feminis placet. ille vero ita circumscripsit omnia, ut eum legumlatorem vocent, quia deorum atque heroum effigies, quales ab eo sunt traditae, ceteri, tamquam ita necesse sit, sequuntur. (6) floruit autem circa Philippum et usque ad successores Alexandri pictura praecipue, sed diversis virtutibus. nam cura Protogenes, ratione Pamphilus ac Melanthius, facilitate Antiphilus, concipiendis visionibus, quas *φαντασίας* vocant, Theo Samius, ingenio et gratia, quam in se ipse maxime iactat, Apelles est praestantissimus. Euphranorem admirandum facit, quod et ceteris optimis studiis inter praecipuos et pingendi fingendique idem mirus artifex fuit.'

(7) ,similis in statuariis differentia. nam duriora et Tuscanicis proxima Callon atque Hegesias, iam minus rigida Calamis, molliora adhuc supra dictis Myron fecit. diligentia ac decor in Polyclito supra ceteros, cui quamquam a plerisque tribuitur palma, tamen, ne nihil detrahatur, deesse pondus putant. (8) nam ut humanae formae decorem addiderit supra verum, ita non explevisse deorum auctoritatem videtur. quin aetatem quoque graviorem dicitur refugisse nihil ausus ultra levis genas. atquae Polyclito defuerunt, Phidiae atque Alcameni dantur. (9) Phidias tamen dis quam hominibus efficiendis melior artifex creditur,

---

[1]) locum multis notis inlustravit, decades vero neglexit E. Bertrand, de pictura et sculptura apud veteres rhetores, Lutet. Paris. 1881 p. 90—93. 103—113.

in ebore vero longe citra aemulum, vel si nihil nisi Minervam Athenis aut Olympium in Elide Iovem fecisset, cuius pulchritudo adiecisse aliquid etiam receptae religioni videtur: adeo maiestas operis deum aequavit. ad veritatem Lysippum ac Praxitelem accessisse optime adfirmant. nam Demetrius tamquam nimius in ea reprehenditur et fuit similitudinis quam pulchritudinis amantior.'

Scio equidem pictorum canonem iam ab aliis illic esse observatum, neque tamen numerus septenarius, quem enucleavit L. Mercklin[1]), recte se habet; qui cum antiquiorem pictorum heptadem, cui Zeuxis Parrhasius Aglaophon Polygnotus ascripti fuerint, atque recentiorem pictorum Philippi et Alexandri aetati supparium odoratus sit, neglexisse mihi videtur, quod Euphranor, quem alteri heptadi attribuit, a ceteris pictoribus distincte discernitur; nam ,et ceteris optimis studiis inter praecipuos et pingendi fingendique idem mirus artifex fuit;' praeterea cum ceterorum pictorum virtutes insignes imitatione dignae enumerentur, de Euphranore in universum iudicatur. quo ab ceteris pictoribus secreto decem restant pictores: Polygnotus Aglaophon; Zeuxis Parrhasius; Protogenes Pamphilus Melanthius Antiphilus Theo Samius Apelles. hanc decadem eo confidentius teneo, quod altera subsequitur statuariorum[2]), de qua omnino nulla potest esse dubitatio, hos amplexa viros: Callonem Hegesiam; Calamidem Myronem; Polyclitum Phidiam Alcamenem; Lysippum Praxitelem; Demetrium. qui mirabuntur, quod Scopas in hanc decadem non sit relatus, meminerint inter statuarios et sculptores discrimen esse faciendum. nam si statuarii materia aes, sculptoris in primis marmor est (Quint. II 21, 10; Boeckh, Encycl. p. 461), accuratius decadem inspicienti in oculos incurrit viros illos ad unum omnes aere fundendo inclaruisse, cum Scopas egregius sculptor uno neque eo satis contestato opere

[1]) de Varronis hebdomadibus animadversiones, ind. Dorpat. 1857 = Ritschl, Opusc. III p. 538 sq.

[2]) longe a decade diversa est Varronis heptas statuariorum (de qua cf. Brunn et Ritschl, Opusc. III 517 sq.; Mercklin ib. 537; Ritschl ib. 561. 564 sq.; Mercklin ib. 565; Brieger, de font. Plin. p. 41 sqq.); cui cum Phidias Polyclitus Myro Pythagoras Telephanes Praxiteles Lysippus adnumerati sint, aliorum iudicium Varronem secutum esse patet. de Telephane tamquam Plinii fonti primario addito haud scio an recte G. Oehmichen, Plinianische Studien, Erlangae 1880 p. 162 sqq. iudicaverit, quamquam fuerunt artifices, ,quorum suffragiis aequabatur Polyclito Myroni Pythagorae' (Plin. n. h. XXXIV 68).

aeneo innotuerit (Ritschl, Opusc. III 518; Brunn, GgK I 325). sculptorum decas num fuerit, non ausim aut confirmare aut negare, quamquam ab ratione non recedat, si quis fuisse decadem coniecerit; pictorum et statuariorum decades certe felici casu nobis videmur ad lucem protulisse, quarum de aetate et origine nunc est disputandum. atque Quintiliani acumini eas deberi vix quisquam crediderit, qui obiter tantum locum inspexerit, cum nihil tamquam auctor proferat, sed ad alienam auctoritatem eamque Graecorum apertis verbis provocet.[1]) quin etiam diu ante Quintilianum eas compositas esse persuasum habeo. rectissime enim Brunn, GgK II 201 pictores, quos quasi suae artis principes apud Ciceronem Plinium Quintilianum Lucianum commemoratos reperiamus, omnes animadvertit aetatem Apellis et Protogenis (ol. 120) non transgredi; itaque quasi canonem quendam conicit eos effecisse, quem non multo post ol. 120 constitutum esse cum alia tum studia artis historiae illa aetate summopere exculta doceant. cuius viri harum rerum peritissimi ratiocinationem etiam ad statuarios transfero neque dubito, quin decades illae, si minus paullo post ol. 120 (300 a. Ch.), at certe ante Ciceronis aetatem, qui primus eiusmodi iudicia abunde tradit, i. e. circiter ante ol. 170 (100 a. Ch.) compositae sint. sed potest accuratius tempus definiri. ex ipso Quintiliani loco decades illas veterum artificum canones esse ad artem pingendi et fingendi promovendam propositos confestim elucet. itaque quando veteres artifices imitatione expressi sint, primum inquiramus oportet. et ea quidem, quae Lysippum et Apellem subsecuta est, aetate erant certe, Sicyone praesertim, multi et artifices et artis historici, sed ad prisca exempla non redibant, immo multo inferiora ea ducebant prae Lysippo et Apelle, quos summas omnium artificum qui ante fuerant virtutes complexos esse rati in primis imitabantur et imitandos proponebant. deinde pingendi fingendique ars cessavit atque magis magisque a vetere illa norma deflexit,

---

[1]) cf voces: dicuntur, traditur, ut existimant, vocent, vocant, a plerisque tribuitur palma, putant, dicitur, dantur, creditur, adfirmant, reprehenditur. idem vidit Bertrand l. l. p. 91 sq. Graecos Quintiliani auctores fuisse ex accurata artificum Graecorum descriptione, qualem Romanis nemo attribuerit, certo concludo; cf. etiam § 6: ‚concipiendis visionibus, quas *φαντασίας* vocant, Theo Samius praestantissimus.‘ ceterum haud difficile dispicias Quintilianum decades adferre iam ab aliis criticis in iudicium vocatas neque omnibus numeris probatas.

donec, ut natura fert, ol. 156 (c. 150 a. Ch.) rursus revixit[1]), quo tempore facta est ἀνανέωσις παιδείας ἁπάσης (Athen. IV p. 184 bc). cum ubique ad veteres respici coeptum esset, multi exstiterunt statuarii[2]), qui veteres imitabantur, multi pictores, qui prisca effingebant exempla. Phidias et Polyclitus, Polygnotus et Zeuxis imitatione exprimebantur[3]), totaque primi ante Christum saeculi ars veterum artificum Atticorum indolem reddebat.[4]) eodem tempore quibus potissimum virtutibus excellerent artifices, inquirebant critici.[5]) quid igitur? tunc temporis artificum veterum decades confectas esse nonne iure suspicabimur? — quibus de tempore disputatis nunc, quo loco canones sint constituti, quaeramus. procul dubio, quoniam ad imitationem canones propositi sunt, solummodo ubi tunc temporis artes pingendi fingendique summopere florebant, editi sunt. consequitur Alexandrinos decadum auctores non fuisse, cum Alexandriae nulli artifices Graeca secuti exemplaria considerent, neque suppeterent artificum Graecorum opera, ex quorum contemplatione artis historiae studium prodiret (Boeckh, Encycl. p. 475; Brunn, GgK I 505. II 288 sq.). Alexandrinis exclusis non latus coniectandi campus videtur patere. nam cum summi sit momenti, quod bis deni artifices ad imitationem propositi sunt, qui numerus amplissimus in opulentissimam urbem nos delegat, de Sicyoniis, quorum schola tum iam nihil valebat, omnino cogitari non potest, Rhodios maiore iure canonum auctores fuisse contendas. sed, quamquam artem summo studio colebant[6]), tamen, cum ex veteribus artificibus Sicyonios quasi excipientes,

---

1) Plin. n. h. XXXIV 52; C. Fr. Hermann, ueber die Studien der griech. Kuenstler, p. 13—21. 57 n. 101; Brunn, GgK I 505; Blass, GB 226 sqq.

2) heptadem ‚probatorum' statuariorum enodavit ex Plinio l. l. Brunn apud Ritschl, Opusc. III 521, cui ascriptus erat Polycles probatus Atticorum imitator, cf. Paus. VI 4, 5. X 34, 6. de imitatione iam tum scripta exstare debebant, cf. Cornif. IV 6 sqq.; Cic. de inv. II 1—11 conl. cum Dion. vett. cens. 1 p. 417; Quint. V 12, 21. X 2, 2. 6 sq.

3) cf. Dion. de Din. 7 p. 644 sq.; Blass, GB 226 n. 1.

4) Brunn, GgK I 560 sqq.; praevalet Pasitelis eiusque scholae auctoritas; Varronis hebdomades et ipsae veteres artifices amplectebantur.

5) cuius rei vestigia apertissima apud rhetores potissimum inveniuntur; huc propter antiquitatem Cicero praecipue facit.

6) G. Eitner, die Kuenstlerschule zu Rhodus, progr. Wohlav. 1880 p. 6 sqq.

solos eos, qui circa Apellem et Lysippum efflorescebant, artifices imitatione dignos commendarent, tot saltem artifices eosque diversissimos eos proposuisse ad imitationem plane comprobari nequeat, Rhodii has decades non invenerunt. ceterum unum Callixenum Rhodium novi artium historiae scriptorem, cuius *περὶ Ἀλεξανδρείας* opus satis vulgatum erat per antiquitatem, *τῶν ζωγράφων τε καὶ ἀνδριαντοποιῶν ἀναγραφαί*, exiles ut videtur ieiunaeque tabulae, prorsus neglegebantur, nisi quod Sopatrum eas adhibuisse Photius bibl. cod. 161 p. 104 tradit; eius aetas cum in tertium a. Ch. saeculum incidat, tunc temporis Rhodi simile atque Sicyone studium viguisse in promptu est conicere; postea vero de artium historicis et criticis Rhodiis nihil est compertum, videturque studium illud cessisse in Asiam, ubi Pergamus urbs prae ceteris longe eminebat magnificentissime Attalorum summa munificentia ornata. ibi in artes mutas simile studium conlatum esse scimus atque in litteras. pictores et statuarii multi Pergami florebant[1]), qui cum exempla ad imitandum requirerent, plura ibi quam uspiam alibi inveniebant. nam ut libros praecipue Eumenes II (197—159) undique conlectos in bibliothecis congeri iussit, ita, qui ei successit, Attalus II (159—138) singulare studium contulit in conquirenda artificum opera, quae cum multa Corintho praesertim deleta Pergamum migrarent[2]), ibi in pinacothecis templis regia alibi spectabantur. eorum mox indices sunt confecti et argumenta (*διαθέσεις*) descripta[3]); tum genuina an subditicia sint, imitatione digna necne, disceptatum est[4]);

---

[1]) inter statuarios recensentur a Plinio XXXIV 84 Isigonus Pyromachus Stratonicus Antigonus; 88 adiungitur Epigonus; Pyromachus et Antigonus iidem fuerunt pictores (Plin. XXXV 146); Pyromachi discipulus Milo Solensis pictor fuit; Pergami degebat Sosus inter operis tessellati s. musivi structores summus princeps (Plin. XXXVI 184); cf. Brunn, GgK I p. 442 sq.

[2]) C. O. Mueller, Archaeologie der Kunst, p. 167[2]; v. g. cf. Plin. XXXV 24. 100. 60.

[3]) vel plenissimi operum indices ducebantur Antigoni (cf. Preller, Polem. frg. p. 97 sqq.); *π. διαθέσεως* scripsit Adaeus Mytilenaeus, multa huc contulit Polemo, quorum uterque studiorum rationem a Pergamenis vicinis videtur repetivisse.

[4]) de Antigono haec habet Wilamowitz l. l. p. 146: ‚die namentlichen Anfuehrungen zeigen, dass Antigonos sowohl die Beschreibungen der Monumente, wie Untersuchungen ueber ihre Urheber, wie stilistische Kritiken geliefert hat;‘ cf. p. 7—17. 130 sqq. 143—146. ex schol. Arist. Av. 573

multique exorti sunt, qui de artificum vitis operibus arte praestantia quaestiones moverent.[1]) quorum quae fuerit ratio, nunc est pervestigandum; nam decadum rationem certe hanc videmus fuisse, ut diversissimae praestantissimorum artificum veterum virtutes in societatem sint conciliatae, ut species perfecti artificis effingeretur. hic profecto mireris, quantopere cum decadum compositione concinant, quae de arte Pergamena elicuit Brunn, GgK I p. 458, qui Pergamenos non id egisse vidit, ut unum alterumve exemplar Atticum imitarentur, sed, ut ipsius verba mea faciam, ihr Princip, ait, ist der Eklekticismus, die kritische Auswahl des jedesmal Passendsten aus den verschiedensten Richtungen und die Anwendung desselben auf neue Aufgaben. hoc argumento gravissimo certe origo Pergamena comprobata est, nec desunt minora, quibus interdum Pergamenos artifices eosdem criticos fuisse inlustretur. nam si recte Pasitelem (c. 107—27) eiusque scholam Pergamenorum ‚eclecticismum‘ qui dicitur probasse et recepisse conicitur (Brunn ib. 596 sqq.; Brieger, de font. Plin. p. 36), Pasitelis *περὶ ἐνδόξων*[2]) opus eorundem Pergamenorum criticorum vestigia videtur legisse; deinde quod a Pasitele artificum lexicon conscriptum esse atque per Varronem Plinio innotuisse probabiliter coniecit Oehmichen l. l. p. 106 sqq., haec studia a Pergamenis eum duxisse facile concedes. iam conferatur Quintilianus cum Plinio; cum saepius mire eos consentire animadvertas[3]), tum in primis notabile est Plinii XXXV 67 de Parrhasio simillimum iudicium, cuius auctores cum Antigonum et Xenocratem (h. e. ex Xenocrate

---

ed. Dind. liquet contra atque alios *τοὺς περὶ Καρύστιον τὸν Περγαμηνόν* censuisse *Ἀγλαοφῶντα τὸν Θάσιον ζωγράφον πτηνὴν ἐργάσασθαι τὴν Νίκην.* cf. Dion. de adm. vi dic. Dem. 50 p. 1108.

[1]) de arte statuaria et de pictura (s. *π. ζωγράφων*) volumina condidit Antigonus (Plin. XXXIV 84; XXXV 68; Athen. XI p. 474[c]); de gemmarum origine scripsit Corn. Alexander Milesius Polyhistor (Plin. XXXVII ind.); Artemo *π. ζωγράφων*, Adaeus *π. ἀγαλματοποιῶν* (Athen. XIII p. 605[f]) scripta composuerunt; de Parrhasii praestantia iudicavit Antigonus (Plin. XXXV 67—69).

[2]) hunc titulum verum esse probavit O. Jahn, B.d.s.G.d.W. II 1850 p. 105—142.

[3]) cf. de Polyclito Plin. XXXIV 55, de Alcamene ib. 49. 72, de Phidia 54, de Zeuxide XXXV 64. 67, de Apellis ‚venustate‘ (gratia) 79, de Melanthii ‚ratione‘ 80, de Protogenis ‚cura‘ 80. 101.

Antigonum) Plinius diserte tradat, etiam Quintilianum Pergamena iudicia referre sponte apparet (cf. Brieger l. l. p. 20 sqq.). postremo cum a Quintiliano illas decades adlatas esse videamus, ut non minus in pictoribus et statuariis, quam in oratoribus esse quasdam unius generis species, quas quisque diversas inter se sit secutus, comprobet, haec ipsa comparandi ratio Pergamenam prae se fert speciem; nam Pergami utriusque studii exstant manifesta vestigia, et comparari solebant inter se tam fingendi pingendique ars cum arte dicendi quam artifices cum oratoribus; id quod, ne nimis digrediamur, praesertim cum iam his quae attuli Pergamena decadum origo satis videatur demonstrata esse, in epimetro sub finem huius dissertationis adnexo accuratius inlustrabimus. nunc, quoniam in oratorum canone eandem rationem vigere cernimus atque in decadibus artificum Pergamenis, eum et ipsum Pergami natum esse novo adiuti argumento multo confidentius adseveramus.

Quibus expositis iam finem imponeremus toti de canonis origine Pergamena disputationi, nisi perspecta Romanorum cum Pergamenis intima familiaritate fore, ut studia Pergamena etiam dilucidius cognoscerentur, probe sciremus. homines docti Pergameni litteraeque quantam ad Romanos erudiendos vim exercuerint, nunc accuratius exploratum est.[1]) ut Pergamenorum amicitia fideli res externae Romanorum in bellis illis Asiaticis auctae sunt, ita etiam in litteris artibusque instituendis et promovendis a Pergamenis Romani commovebantur continenterque adiuvabantur. mitto equidem, quod Pergameni etiam ad rem Romanorum librariam aliquantulum attulerunt (Birt, Buchwesen p. 481) nec magis premo poetas Pergamenos velut Nicandrum a Romanis aut imitatione expressos aut ad docta studia adhibitos esse, cum suo quisque iure his in rebus Alexandrinos longe apud Romanos praevaluisse contenderit; nam Alexandrinorum ars et doctrina longe lateque diffusa etiam Romam manavit, neque, ut unum memorem, quot Romani Callimachi Philetae Theocriti carmina imitati sint, cuiquam est ignotum. sed in ceteris rebus Pergamenorum auctoritas summopere vigebat. cum duplex sit ratio, quam secuti litteras

[1]) mutuam, quae inter utrosque intercessit, rationem dilucide inlustraverunt Reifferscheid l. l. p. 4 sq. et Wilamowitz, Antig. p. 161 sq. 163. 176 sq.

artesque alienas pernoscamus, altera in scriptis posita, altera in ipsa artium magistrorum doctrina, et scripta Pergamenorum Romani adhibuerunt Cratetis Asclepiadis Antigoni Apollodori aliorum, et Pergamenis doctoribus operam dederunt, qui multi Pergamo profecti Romae litteras profitebantur. fuerunt etiam qui studiorum gratia Pergamum migrarent, suoque sane iure Piderit, de Apoll. et Theod. rhett. p. 7 ,Calidium ut multos alios Romanos non Romae, sed Pergami, Apollodori urbe patria, scholae huius rhetoris interfuisse' coniecit. multo vero notior est Pergamenorum auctoritas, quam in ipsa Roma mature habebant. etenim cum multos Romae commoratos esse rhetores Graecos audiamus[1]), iam ante a. 155, quo cum Carneade Academico et Diogene Stoico Critolaus Peripateticus artem rhetoricam (Quint. II 15, 23; 19) ex scholarum Graecarum umbraculis in fori Romani solem ac pulverem transtulit, et incredibili eloquentiae studio iuventus Romana flagrabat, de variis Romanorum studiis optime meriti sunt Pergameni, a quibus primis artem grammaticam et rhetoricam acceperunt. primum enim[2]) Cratetem c. 169 studium grammaticae in urbem intulisse ex Suetonio l. l. compertum habemus; ubi infelici casu retentus ,acroasis subinde fecit assidueque disseruit, ac nostris exemplo fuit ad imitandum: hactenus tamen, ut carmina parum adhuc divolgata vel defunctorum amicorum vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent ac legendo commentandoque et ceteris nota facerent'; velut C. Octavius Lampadio, Q. Vargunteius, Laelius Archelaus, Vectius Philocomus, ex quibus Lampadionem in Naevii bello Punico in septem libros dividendo

[1]) ut Menelaum Marathenum (Cic. Brut. 100), Diophanem Mytilenaeum (ib. 104), Menedemum Atheniensem (de or. I 85), Molonem Rhodium (Brut. 307. 312), Philonem Larisaeum (Plut. Cic. 3; Cic. Tusc. II 3, 9; de or. III 110), Heraclidem Temniten (Cic. Flacc. 18, 42. 20, 46. 48), Asinium Pollionem Trallianum (Suid. s. v.); sunt qui Hermagoram ipsum Romae docuisse opinentur, quod tamen pro certo confirmari nequit (v. g. Morawski, NRhM XXXIV p. 370).

[2]) quamquam ,philosophi Graeci et rhetores, qui etiam grammaticam docuerunt, iam ante Cratetis adventum haud dubie (sic) Romae scholas aperuerant, cum sciamus, Alcaeum et Philiscum L. Postumio cos. 173 a. Ch. urbe esse eiectos' (Wegener l. l. 122), tamen ea ipsa ex re, quod Cratete prior nemo alius doctus Graecus a Suetonio commemoratur, luculentissime perspicitur Cratetis primi auctoritatem in litteris Romanis conformandis valuisse.

(Birt p. 481 n. 4), Vargunteium in Ennii annalibus enarrandis Cratetis exemplum spectasse non inepte conicitur (Wachsmuth, de Crat. Mall. p. 7). itaque Crates studia grammatica idemque critica Romam transtulit; cum grammaticis vero rhetorica ita sociata erant, ut, quod de veteribus grammaticis Romanis tradit Suetonius, ‚quidam e grammatici statim ludo transierint in forum atque in numerum praestantissimorum patronorum sint recepti.' ut varia philologiae studia Crates, ita alia alii Pergameni Romae promoverunt et constituerunt, geographica et historica Cornelius Alexander Polyhistor, quem c. 85 Romam delatum esse scimus [1]), philosopha Athenodorus Stoicus a Catone Romam deductus, rhetorica Apollodorus, qui quantum momentum ad studium Atticorum Romae stabiliendum attulerit, nunc satis constat. [2]) praeter illos principes Asclepiadem Myrleanum alterum, Hesychii s. Philonis Byblii in grammaticorum ante Augustum florentium recensu auctorem, Romae Pompeii aetate vixisse exploratum est, itemque Suidas s. v. Ptolemaeum Ascalonitam Crateteum Romae docuisse tradit; de Apollodori discipulo Moscho rhetore Pergameno supra verba feci; postremo Panaetii Cratetis discipuli vis quanta fuerit apud Romanos, notissimum est. itaque videmus Pergamenos auctoritate in primis usque apud Romanos viguisse. quod vero primi studia Romana commoverunt et ad certam normam direxerunt, id summi est momenti ad hanc quaestionem expediendam; hoc enim nixi fundamento iure, quae in ipsa studiorum Romanorum adulescentia inveniemus, ad Pergamenos, qui Romanis ‚exemplo fuerunt ad imitandum' referemus. a Pergamenis igitur profecta est coniunctio studiorum grammaticorum et rhetoricorum, qualem iam longe ante Varronem Romae deprehendimus, praesertim cum ab Alexandrinis

---

[1]) eius discipulus notissimus erat Hyginus ab Augusto bibliothecae Palatinae praepositus (cf. Suet. de gramm. et rhet. c. 20 p. 115 Rffsch.); Hygini discipulus ‚in studiis atque doctrina vestigia patroni secutus' nobilis ille grammaticus Iulius Modestus erat.

[2]) cf. p. 63 sq. 67 sq. apprime huc quadrat Reifferscheidii de Apollodoro iudicium l. l. p. 5: ‚(Apollodorus) war das Haupt einer Rhetorenschule, die . . . . auf den ferneren Entwickelungsgang der griechischen und roemischen Litteratur bestimmend einwirkte. Sie hatte ihren Sitz in Rom, und Rom wird seitdem, Pergamon abloesend, zum Mittelpunkt der Studien der Beredsamkeit.'

neque tam mature Romani eruditi sint neque ars rhetorica tum temporis Alexandriae habuerit sui studiosos. quod quo clarius fiat, pauca adferemus exempla. criticorum munere iam nascentibus litteris multi fungebantur; vastum didascalicon opus composuit L. Accius, criticam variae eruditionis scriptorum censuram versibus exercuit Lucilius; Porcius Licinus, Q. Valerius Soranus, Octavius Lampadio, Volcacius Sedigitus, Ser. Clodius, Santra, alii grammatici idem obierunt negotium. grammaticam et rhetoricam iunctas vides in Stilone, item in Aurelio Opilio, qui ‚philosophiam primo, deinde rhetoricam, novissime grammaticam docuit'; Antonius Gnipho grammaticus domi suae scholam rhetoricam aperuit, idem Ciceronis Caesaris Ateii Philologi praeceptor, quorum ultimus non minus eximius rhetor quam bonus grammaticus ducebatur; Cornificius rhetoricorum ad Herennium auctor idem in arte grammatica versatus erat (IV 12, 17); nec mitto Varronem ipsum, qui, inter grammaticos Latinos princeps, idem fuit rhetor et orator, quod eius orationum suasionum rhetoricorum libri ostendunt, neque minus criticus eximius, quod eius de poematis, de proprietate scriptorum, hebdomadum libri aperte probant (Ritschl, Opusc. III 433—439. 492 n. 3. 483—485. 497 n. 18). inter oratorum criticos, quos in universum saepenumero Cicero commemorat (e. g. Brut. 84. 92. 143. 207. 210. 220), refertur C. Persius (Cic. Brut. 228), eximius idem orator, similique laude celebratur L. Sisenna doctus vir et studiis optimis deditus (ib. 228). Atticus aliique C. Persii esse voluerunt orationem ‚vel optimam illo quidem tempore omnium', quam C. Fannio ‚mediocri oratori' iure attribui iudicavit Cicero (Brut. 99). inter omnes vero oratorum criticos longe excellit Cicero, qui multis in artibus occupatus et versatus quantam in oratores eorumque scripta crisin contulerit, in oratoribus Graecis supra ostendimus (p. 22 sqq. 35 sqq.), in Romanis qui scripta rhetorica leviter pervolutaverit, facile videbit. etenim cum ‚ex orationibus existimari de ingeniis oratorum posse' sibi persuasisset (Brut. 82. 122. 131 sq. 153. 163 sq. 181. 220. 295. 324), Romanos oratores hoc constituto fundamento percensuit, ad praecepta rhetorica eorum orationes examinavit, oratores ipsos inter se comparavit, eorum denique numeros et gradus constituit.[1]) haec omnia, quae

---

[1]) pervestigandus est praecipue Ciceronis Brutus; comparationum exempla haec propono: Cic. Brut. 63. 293. — 67. — 138. 140—143. 224; de

commode multiplicari possunt, eum ad finem attuli, ut imago doctrinae Pergamenae nimis oblitterata, cum Romani Pergamenos imitatione expressissent, refingeretur, eoque melius intellegeretur Pergamenos pro studiorum indole ac ratione canonis oratorum Graecorum auctores fuisse. atque sine dubio ipse Volcacius Sedigitus suum decem comicorum Romanorum canonem [1]) ad exemplum similium decadum Pergamenarum conformavit. Alexandrinos saltem Volcacius non videtur secutus esse, quod praeter decadis numerum apud Alexandrinos insolitum temporum calculi videntur docere; nam cum ipse c. 90 floreret ‚multosque incertos certare hanc rem vidisset, palmam poetae comico cui deferrent' (Gell. XV 24, 1), eiusmodi studia critica Romae ante 100 floruisse sequitur; quo tempore Pergamenorum auctoritas Romae plurimum valuit, cum de Alexandrinis nihil certi memoria sit proditum. itaque si Pergamena exempla imitatus est Sedigitus, decades virorum excellentium Pergami ante 100 praesto fuisse constat; inter quas etiam hanc de qua ago rettulerim, praesertim cum haec temporum descriptio cum illis superioribus optime congruat. neque turbatur temporis computatio Apollodori aetate respecta, qui cum c. 64 clarus sit habitus (Hieron. ad a. 1953) neque ipse, ut qui fuerit Atticorum severus sectator, huius canonis auctor esse potuerit, canon ante illud tempus confectus est. quae cum ita sint, stat, quam supra posuimus, de canone opinio iamque ita suppletur, ut canonem decem oratorum Atticorum Asianorum ratione habita a rhetore et critico Pergameno ante Apollodori aetatem [2]) (c. 125) ad imitationem propositum esse confirmemus. quibus probatis omnia, quantum ego video, accuratissime concinunt. Panaetii aetate cum *περὶ καθήκοντος* libros scripsit id est c. 142 canon nondum erat constitutus. at paullo post, cum Atticorum imitatio, quae

---

or. III 26—28; oratorum ordines hos adfero: Brut. 84. 143; or. 18 sq.; Brut. 173. 186; or. 160; Brut. 181. 207. 210. 220. simul cognosces de oratorum Romanorum praestantia saepius etiam ante Ciceronem a criticis iudicatum esse.

1) Teuffel, RLG p. 239³; 230⁴; Ladewig, über den Kanon des V. S., Neustrelitz 1842; Henr. Iber, de V. S. canone, diss. Monast. 1865; Ritschl in Suet. ed. Rffschd. p. 501 sq.

2) a probabilitate nequaquam abhorret in ea schola Pergamena, ex qua Apollodorus processerit, canonem esse procreatum; sic explicatur, quod eum Apollodori discipulus Caecilius, qui a magistro eum videtur accepisse, respuere veretur.

circa medium a. Ch. saeculum alterum nata erat, latius percrebresceret, Pergami, ut diversa Atticorum et Asinorum studia aliquatenus consociarentur, norma illa est proposita, quam alii probarunt, alii minoris vel nihili fecerunt. Demetrio quidem Magneti hic census videtur notus fuisse; neglexit eum Gorgias, qui quod ad schemata exemplis inlustranda Asianos quoque scriptores in usum suum convertit, etiam propius ab Asianis afuit quam decadis auctor; Cicero et Dionysius suo uterque iudicio oratorum Atticorum canones elegerunt, at iidem cum decadis ambitum non transgrederentur, excluderent solos vetustiores ex decade oratores, ad illam normam videntur spectasse; Didymus grammaticus num decadem secutus sit, non potest erui, commentarios in vetustiores oratores, quod sciamus, et ipse non composuit; Ciceronis denique aequales pro sua quisque studiorum ratione unum alterumve ex decade oratorem insignem, veluti Lysiam Isocratem Hyperidem Demosthenem ad imitandum sibi sumpserunt; Caecilius demum, quod Pergamenorum placita pie colere voluit, decadem, si minus probavit, at vero pro studiorum norma habuit. Caecilii vero eximia auctoritate canon oratorum contra atque alii census, qui temporum iniquitate vel virorum doctorum variis opinionibus valde obscurati sunt aut prorsus evanuerunt, ad hanc usque memoriam integer propagatus est, quosque Pergamenus ille rhetor canonis auctor imitandos proposuit oratores Atticos, eosdem commentariis notis lexicis instructos et ornatos tradebant per saecula viri eloquentiae Atticae studiosi.

Epimetrum.

Quo dilucidius appareret artificum decades e Quintiliano (XII 10) erutas, ut quae cum oratorum ordinibus comparatae essent, Pergamenam prae se ferre originem, supra p. 75 docturum me esse promisi, Pergamenorum potissimum vi et auctoritate factum esse, ut cum signis tabulisque eloquentia, cum artificibus oratores contenderentur. quod promissum nunc soluturus primum temporum, quoad eius fieri possit, ordine servato comparationes eiusmodi, quas adhuc in rhetorum libris indagavi, proponam, deinde quid mihi de earum aetate consilio origine videatur, brevi adiungam.[1]) atque locorum quidem hic est conspectus:

Philonicus Sicyonius ap. Dion. H. de Isocr. 13 p. 559: Isocratem similem esse *ζωγράφῳ ταῖς αὐταῖς ἐσθήσεσι καὶ τοῖς αὐτοῖς σχήμασι πάσας ἐπικοσμοῦντι τὰς γραφάς.*

Lucilius ap. Cic. de or. III 171: Albucii *λέξεις* inlusit ‚lepide compostas ut tesserulas, omnes arte pavimento atque emblemate vermiculato'.[2])

Cornificius ad Her. IV 6 sqq. (de elocutione): ut magis ars cognoscatur, suis exemplis melius esse uti. — ‚Chares

---

[1]) pauca huc contulit Blass, GB Anhang p. 222—231; novissimo tempore ‚de pictura et sculptura apud veteres rhetores' [Lutet. Paris. 1881] egit E. Bertrand, qui quamquam multa attulit, quae ad rhetorum locos inlustrandos et aesthetice ut aiunt intellegendos suam obtinent dignitatem, neque omnia conlegit neque fontes illius studii detexit.

[2]) idem Cicero Brut. 274 de Calidio Apollodoreo Lucilium imitatus tradidit.

ab Lysippo statuas facere non isto modo didicit, ut Lysippus caput ostenderet Myronium, bracchia Praxitelia, pectus Polyclitium [ventrem et crura ***], sed omnia coram magistrum facientem videbat, ceterorum opera vel sua sponte poterat considerare.[1])

Cornific. ib. 16: exornationes (i. e. figurae) rarae dispositae distinctam sicuti coloribus, crebrae conlocatae oblitam reddunt orationem. varietate satietas est vitanda.[2])

Cic. de inv. II 1—11: ut Zeuxis Helenae simulacrum picturus ad effingendam pulchritudinis speciem non unam virginem, sed quinque formosissimas elegit, ita Cicero artem dicendi perscripturum se non unum aliquod sibi proposuisse exemplum dicit, sed omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime praecipere videretur, id se excerpsisse.[3])

Cic. de or. I 72 sq.: omnibus ingenuis artibus quivis orator perpolitus esse debet, velut qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen utrum sciant pingere an nesciant, non obscurum est.[4])

Cic. de or. II 69 sq.: tradi omnia in artibus non posse; — qui primarum et certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua non incommode per se adsequuntur; ‚ut in pictura qui hominis speciem pingere didicerit, cuiusvis vel formae vel aetatis pingere potest, neque est periculum, qui leonem aut taurum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit; Polyclitus cum Herculem fingebat, quemad-

---

[1]) ex libro π. μιμήσεως haec transtulisse videtur Cornificius.

[2]) cf. ib. 32; Cic. de or. III 98 sqq.; Demetr. π. ἑρμ. 67; Dion. de comp. 19; Quint. VIII 5, 29. 34; exc. Long. I p. 325 Sp.

[3]) eandem comparationem, ut ad opus περὶ μιμήσεως praefaretur, adhibuit Dion. vett. cens. p. 417 in brevius quidem coartatam; cf. Plin. n. h. XXXV 64; Ael. v. h. IV 12.

[4]) huc quadrat Vitruvii de architecti eruditione locus I 1, 13: ‚non debet nec potest esse architectus grammaticus, uti fuit Aristarchus, sed non agrammatos: nec musicus, ut Aristoxenus, sed non amusos: nec pictor, ut Apelles, sed graphidos non imperitus: nec plastes, quemadmodum Myron seu Polyclitus, sed rationis plasticae non ignarus: nec denuo medicus, ut Hippocrates, sed non aniatrologetos: nec in ceteris doctrinis singulis excellens, sed in his non imperitus.‘ ex Graeco scriptore verba desumpta esse haud difficile cernes.

modum pellem aut hydram fingeret, non quaesivit, etiamsi hanc nunquam separatim facere didicisset. — 73: si quis (dicendi) artem comprehenderit, ut tamquam Phidias Minervae signum efficere possit, non sane quemadmodum, ut in clipeo idem artifex, minora illa opera facere discat, laborabit.[1])

Cic. de or. II 320: oportet ut aedibus ac templis vestibula (cf. or. 50) et aditus, sic causis principia pro portione rerum praeponere.[2])

Cic. de or. II 357 sqq.: agit de memoriae imaginibus cum pictura comparatis.[3])

Cic. de or. III 25 sqq.: in dissimili genere par laus virorum inlustrium: in fingendi arte Myronis Polycliti Lysippi, in pictura Zeuxidis Aglaophontis Apellis (cf. or. 36); in poetis Ennii Pacuvii Accii, apud Graecos Aeschyli Sophoclis Euripidis; quamvis diversi sint Isocrates Lysias Hyperides Aeschines Demosthenes, tamen unusquisque egregius.

Cic. de or. III 98 sqq. (agitur de elocutione; orator sit ornatus et suavis ita tamen, ut suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam). quanto colorum pulchritudine et varietate floridiora sunt in picturis novis pleraque quam in veteribus. quae tamen etiamsi primo aspectu nos ceperunt, diutius non delectant (quod fastidio ab iis abalienamur), cum eidem nos in antiquis tabulis illo ipso horrido obsoletoque teneamur. idem valet de flexionibus mollioribus et severioribus, de unguentis nimis suavibus et moderatis, de cibis valde dulcibus, idem denique de oratione nimis claris coloribus picta;

---

[1]) cf. Quint. VII 10, 9. II 3, 6; Anon. π. ῥητ. I 321 Sp.; Galen. (Pergam.) de temper. I p. 566 K.: multa exercitatione opus est *γνωρίζειν ἑτοίμως ἐν ἑκάστῳ γένει ζώου καὶ κατὰ τὰ σύμπαντα τὸ μέσον — οὕτω γοῦν καὶ πλάσται καὶ γραφεῖς, ἀνδριαντοποιοί τε καὶ ὅλως ἀγαλματοποιοὶ τὰ κάλλιστα* (species) *γράφουσι τε καὶ πλάττουσι καθ' ἕκαστον εἶδος, οἷον ἄνθρωπον εὐμορφότατον ἢ ἵππον ἢ βοῦν ἢ λέοντα, τὸ μέσον ἐν ἐκείνῳ τῷ γένει σκοποῦντες. καί πού τις ἀνδριὰς ἐπαινεῖται, Πολυκλείτου κανὼν ὀνομαζόμενος, ἐκ τοῦ πάντων τῶν μορίων ἀκριβῆ τὴν πρὸς ἄλληλα συμμετρίαν ἔχειν ὀνόματος τοιούτου τυχών.*

[2]) similia Quint. III 9, 9.

[3]) cf. I 157. II 149; Long. ars rhet. I p. 317 Sp.

habeat oratio inluminata umbram aliquam et recessum, quo magis id quod erit inluminatum exstare atque eminere videatur.[1])

Cic. de or. III 180 (de elocutione; numerose dicatur): clausularum et interpunctorum in dicendo utilitatem ac prope necessitatem suavitas quaedam et lepos consecuta est; idem cernitur in architectura.

Cic. de or. III 195 (de numero): omnes tacito quodam sensu (ἄλογος αἴσθησις) sine ulla arte, quae sint in artibus ac rationibus recta ac prava diiudicant; quod faciunt in picturis et in signis et in aliis operibus, idem multo etiam magis in oratione.[2])

Cic. de or. III 217 (de actione): vocum discrimina actori, ut pictori colores ad variandum expositi sunt.

Cic. Brut. 66 sqq.: maiore honore in omnibus artibus quam in hac una dicendi versatur antiquitas. artifices etiamsi vetustissimi sunt suos habent laudatores, quamquam etiam ars non simul et inventa et perfecta erat. nam Canachi signa rigidiora, quam ut imitentur veritatem, Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora, quam Canachi; nondum Myronis satis ad veritatem adducta, iam tamen, quae non dubites pulchra dicere; pulchriora etiam Polycliti et iam plane perfecta . . . similis in pictura ratio est; in qua Zeuxin et Polygnotum et Timanthem et eorum, qui non sunt usi plus quam quattuor coloribus (cf. Plin. n. h. XXXV 50. 92), formas et liniamenta laudamus; at in Aëtione Nicomacho Protogene Apelle iam perfecta sunt omnia.

---

[1]) cf. or. 36. 169; Brut. 70; Dion. de Isaeo 4 p. 591. ad ultima Ciceronis verba inspicias Dion. de comp. 23 p. 171; Plin. ep. III 13: ‚nec vero adfectanda sunt semper elata et excelsa. nam, ut in pictura lumen non alia res magis quam umbra commendat, ita orationem tam submittere quam attollere decet'; Quint. VIII 5, 26 sqq.: ‚nec pictura, in qua nihil circumlitum est, eminet.'

[2]) similes comparationes deprehenduntur de opt. gen. or. 11; Dion. de Thuc. hist. 4 p. 816 sq.; de adm. vi dic. Dem. 50 p. 1108; de rudium et intellegentium crisi cf. Dion. de Thuc. p. 881 sq. 898. 939. 1031; Cic. Brut. 184. 186. 188. 199; Acad. II 7; de off. III 3; Tusc. II 1, 3; Cornif. IV 2; Quint. IX 4, 115. 119.

Cic. Brut. 71: comparat Odyssiam Latinam cum opere aliquo Daedali et Naevii bellum Punicum cum Myronis opere.

Cic. Brut. 228: Hortensii admodum adulescentis ingenium ut Phidiae signum simul aspectum et probatum esse dicit; ib. 320 de eodem haec habet: ‚primus vero et secundus annus et tertius post consulatum tantum quasi de picturae veteris colore detraxerat, quantum non quivis unus ex populo, sed existimator doctus et intellegens posset cognoscere'. cf. etiam eiusdem Ciceronis de Caesare (Brut. 261) et de Catone (ib. 293. 298) iudicia.

Cic. Brut. 256 sq.: Phidiae artificum principis exemplo adlato non quantum quisque prosit, sed quanti quisque sit, ponderandum esse disserit.

Cic. Brut. 296: ut Polycliti doryphorum sibi Lysippus aiebat, sic ipsi suasionem legis Serviliae magistram fuisse professus est.

Cic. orat. 3 sqq: non esse quod perfectae eloquentiae imago eos deterreat, qui se dicendi studio dediderint. nam in poetis non Homero soli locum esse aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos. neque Platonem et Aristotelem alios a scribendo deterruisse. fuisse praeter opificum principes Protogenem et Apellem, Phidiam et Polyclitum magnam inlustrium artificum multitudinem [1]; idem in oratoribus cerni, inter quos longe quidem excellat Demosthenes, sed fuerint etiam alii iique clari oratores. neque denique esse in ullo genere quicquam tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde illud exprimatur.

Cic. orat. 36 sq.: difficillimum esse χαρακτῆρα optimi exponere, cum varia sint, ut in Graecis, iudicia nec facilis explicatio, quae forma maxime excellat; ut ‚in picturis alios horrida inculta opaca, contra alios nitida laeta conlustrata delectant', ita plura sunt orationum genera eaque diversa, neque in unam formam cadunt omnia.

[1]) cf. Colum. de re rust. I praef. 21 ed. Bip., cuius et verba et sententiae cum Cicerone mirum in modum congruunt.

Cic. orat. 65: de sophistarum dicendi genere epidictico agit, qui ,verba ita disponunt, ut pictores varietatem colorum, paria paribus referunt, adversa contrariis saepissimeque similiter extrema definiunt.'[1])

Cic. orat. 73 sq: in omnibus rebus videndum est quatenus; magis offendit nimium quam parum, in quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis. indecorum fugit poeta, pictor, histrio, quid faciendum oratori putemus?[2])

Cic. orat. 169 (de numero): (antiqui) et verba eligebant et sententias graves et suaves reperiebant, sed eas aut vinciebant aut explebant parum. ,hoc me ipsum delectat', inquiunt. quid? si antiquissima illa pictura paucorum colorum magis quam haec iam perfecta delectat, illa nobis sit, credo, repetenda, haec scilicet repudianda! nominibus veterum gloriantur. habet autem ut in aetatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas, quae quidem apud me ipsum valet plurimum.[3]) nec ego id quod deest antiquitati flagito potius quam laudo quod est sqq.

Cic. orat. 185: in verbis inest quasi materia quaedam, in numero autem expolitio (cf. Hermog. π. ἰδ. II p. 270 Sp.); numerus serius aliquanto notatus et cognitus quasi quandam palaestram et extrema liniamenta orationi attulit (cf. 228 sq.).

Cic. orat. 234: Demosthenis non tam vibrarent fulmina, nisi numeris contorta ferrentur. sed si quos magis delectant soluta, sequantur ea sane, modo sic, ut si quis Phidiae clipeum dissolverit, conlocationis universam speciem sustulerit, non singulorum operum venustatem. — isti autem cum dissolvunt orationem, in qua nec res nec verbum ullum est nisi abiectum,

---

[1]) Cic. de or. III 217; or. 96; Philod. π. ῥητ. IV col. 10, 21. 17, 9.

[2]) cf. Plin. n. h. XXXV 80. 73; Quint. II 13, 8 sq., qui multo uberius eandem hanc περὶ τοῦ πρέποντος doctrinam persecutus est.

[3]) vid. Cic. Brut. 66; Dion. H. de Isocr. 3; Demetr. π. ἑρμ. c. 13.

non clipeum, sed, ut in proverbio est, scopas mihi videntur dissolvere.[1])

Cic. de opt. gen. or. 5: inventionis conlocationis elocutionis ut aedificiorum memoria est quasi fundamentum, lumen actio. ea igitur omnia in quo erunt summa, erit perfectissimus orator, in quo media, mediocris, in quo minuma, deterrimus; sed appellabuntur omnes oratores, ut pictores appellantur etiam mali, nec generibus inter sese, sed facultatibus differunt.

Dion. de comp. 2 p. 10 R.: in oratione idem cernitur atque in *οἰκοδομικῇ* et *τεκτονικῇ* et *ποικιλτικῇ*. *αἱ συνθετικαὶ δυνάμεις τῇ μὲν τάξει δεύτεραι τῶν ἐκλεκτικῶν εἰσι, τῇ δὲ δυνάμει πρότεραι.*[2])

Dion. de comp. 6 p. 40: architecti instar, qui *τρία ταῦτα πραγματεύεται, ποίῳ δεῖ λίθῳ τε καὶ ξύλῳ καὶ πλίνθῳ ποῖον ἁρμόσαι λίθον τε ἢ ξύλον ἢ πλίνθον· ἔπειτα, πῶς τῶν ἁρμαζομένων ἕκαστον καὶ ἐπὶ ποίας πλευρᾶς ἑδρᾶσαι· καὶ τρίτον, εἴ τι δύσεδρόν ἐστιν, ἀποκροῦσαι καὶ περικόψαι καὶ αὐτὸ τοῦτο εὔεδρον ποιῆσαι*, etiam dicendi studiosus compositionem verborum discat.[3])

Dion. de comp. 10 p. 52 sq.: *καὶ ἡδονὴν καὶ τὸ καλὸν ἐπιζητεῖ ἡ ἀκοὴ* (in oratione) *ὅμοιόν τι πάσχουσα τῇ ὁράσει· καὶ γὰρ ἐκείνη πλάσματα καὶ γραφὰς καὶ γλυφὰς καὶ ὅσα δημιουργήματα χειρῶν ἀνθρωπίνων ὁρῶσα, ὅταν*

---

[1]) cf. Dion. H. de comp. 4. Demosthenem Phidiae comparandum esse, cum vel ad minima attendisset, cuius *λόγοι οὐ γραπτοῖς, ἀλλὰ γλυπτοῖς καὶ τορευτοῖς* similes essent, accuratissime observavit Dion. de comp. 25 p. 207 sqq.: *οὕτως ἄθλιος ἦν, ὥσθ', ὅταν γράφῃ τοὺς λόγους, μέτρα καὶ ῥυθμούς, ὥσπερ οἱ πλάσται, παρατιθέμενος ἐναρμόττειν ἐπειρᾶτο τούτοις τοῖς τόποις τὰ κῶλα, στρέφων ἄνω καὶ κάτω τὰ ὀνόματα* sqq. (ib. p. 208; de adm. vi dic. Dem. p. 1112 = Quint. XII 9, 16); p. 209: *πολύ τε γὰρ μᾶλλον ἐμοὶ δοκεῖ προσήκειν ἀνδρὶ κατασκευάζοντι λόγους πολιτικοὺς* (Demosthenem dicit, cf. de adm. vi p. 1114) *μνημεῖα τῆς ἑαυτοῦ δυνάμεως αἰώνια μηδενὸς τῶν ἐλαχίστων ὀλιγωρεῖν ἢ ζωγράφων τε καὶ τορευτῶν παισὶν ἐν ὕλῃ φθαρτῇ χειρῶν εὐστοχίας καὶ πόνους ὑποδεικνυμένοις περὶ τὰ φλέβα καὶ τὰ πτίλα καὶ τὸν χνοῦν καὶ τὰς τοιαύτας μικρολογίας κατατρίβειν τῆς τέχνης τὴν ἀκρίβειαν.*

[2]) cf. Quint. VII prooem. 1.

[3]) cf. Hermog. *π. ἰδ.* II 270 Sp.; Quint. VIII 6, 62 sq.; Ps. Long. *π. ὕψ.* 39 p. 62.

εὑρίσκῃ τὸ θ' ἡδὺ ἐνὸν αὐτοῖς καὶ τὸ καλὸν ἀρκεῖται καὶ οὐδὲν ἔτι ποθεῖ.[1])

Dion. de comp. 21 p. 146: ut in pictura eisdem usi coloribus varias tabulas effingunt pictores, ita in oratione *τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι χρώμενοι πάντες οὐχ ὁμοίως αὐτὰ συντίθεμεν.*[2])

Dion. de comp. 22 p. 148: compositio austera nihil gravatur *τραχείαις χρῆσθαι πολλαχῇ καὶ ἀντιτύποις ταῖς συμβολαῖς, οἷον γίνονται τῶν λογάδην συντιθεμένων ἐν οἰκοδομίαις λίθων αἱ μήτ' εὐγώνιοι μήτε συνεξεσμέναι βάσεις, ἀργαὶ δέ τινες καὶ αὐτοσχέδιοι.*[3])

Dion. de comp. 23 p. 171: in compositione levi verba nullo tempore intermisso sese excipiunt, cum et hiatus et *ἀντιτυπία* evitetur; *ἔοικέ τε εὐητρίοις ὑφαῖς ἢ γραφαῖς συνεφθαρμένα τὰ φωτεινὰ τοῖς σκιεροῖς ἐχούσαις.*[4])

Dion. de Isocr. 3 p. 541 sq.: Isocratem cum Phidia et Polyclito, Lysiam cum Calamide et Callimacho accuratissime comparat: *θαυμαστὸν καὶ μέγα τὸ τῆς Ἰσοκράτους κατασκευῆς ὕψος, ἡρωϊκῆς μᾶλλον ἢ ἀνθρωπίνης φύσεως οἰκεῖον. δοκεῖ δή μοι μὴ ἀπὸ σκοποῦ τις ἂν εἰκάσαι τὴν μὲν Ἰσοκράτους ῥητορικὴν τῇ Πολυκλείτου τε καὶ Φειδίου τέχνῃ κατὰ τὸ σεμνὸν καὶ μεγαλότεχνον καὶ ἀξιωματικόν, τὴν δὲ Λυσίου τῇ Καλάμιδος καὶ Καλλιμάχου τῆς λεπτότητος ἕνεκα καὶ τῆς χάριτος* (cf. Anon. v. Isocr. ap. Sauppe oratt. II p. 5). *ὥσπερ γὰρ ἐκείνων οἱ μὲν ἐν τοῖς ἐλάττοσι καὶ ἀνθρωπικοῖς ἔργοις εἰσὶν ἐπιτυχέστεροι τῶν ἑτέρων, οἱ δ' ἐν τοῖς μείζοσι καὶ θειοτέροις* (Quint. XII 10, 9), *οὕτω καὶ τῶν ῥητόρων ὁ μὲν ἐν τοῖς μικροῖς ἐστι σοφώτερος* (Lysias, cf. de Lys. 16), *ὁ δ' ἐν τοῖς μεγάλοις περιττότερος* (Isocrates).[5])

---

[1]) cf. de Din. 7 p. 644.

[2]) similia alia in re Quint. XI 3, 46.

[3]) Demetr. *π. ἑρμ.* c. 13; Quint. VIII 6, 62 sq.: verba interdum ut in structuris lapidum impolitorum (rudium, Quint. IX 4, 27 loco simillimo = *αὐτοσχεδίων, ἀργῶν*) loco quo convenit quodque coagmentata se magis iungunt; utendum eis qualia sunt eligendaeque sedes.

[4]) cf. de adm. vi dic. Dem. 41 p. 1042 sq. — Quint. XI 3, 40; Ps. Long. *π. ὕψ.* 17 p. 38; E. Bertrand l. l. p. 107.

[5]) cf. Demetr. *π. ἑρμ.* 13: *περιεξεσμένον ἔχει τι ἡ ἑρμηνεία ἡ πρὶν καὶ εὐσταλές, ὥσπερ καὶ τὰ ἀρχαῖα ἀγάλματα, ὧν τέχνη ἐδόκει ἡ συστολὴ καὶ*

Dion. de Isaeo 4 p. 591: *εἰσὶ δή τινες ἀρχαῖαι γραφαὶ χρώμασι μὲν εἰργασμέναι ἁπλῶς καὶ οὐδεμίαν ἐν τοῖς μίγμασιν ἔχουσαι ποικιλίαν, ἀκριβεῖς δὲ ταῖς γραμμαῖς καὶ πολὺ τὸ χαρίεν ἐν ταύταις ἔχουσαι· αἱ δὲ μετ' ἐκείνας εὔγραμμοι μὲν ἧττον, ἐξειργασμέναι δὲ μᾶλλον σκιᾷ τε καὶ φωτὶ ποικιλλόμεναι καὶ ἐν τῷ πλήθει τῶν μιγμάτων τὴν ἰσχὺν ἔχουσαι. ταῖς μὲν ἀρχαιοτέραις ἔοικεν ὁ Λυσίας, κατὰ τὴν ἁπλότητα καὶ τὴν χάριν* (Quint. IX 4, 17), *ταῖς δ' ἐκπεπονημέναις τε καὶ τεχνικωτέραις ὁ Ἰσαῖος.* cf. de Isocr. 3.

Dion. de Din. 7 p. 644: imitatione etiam accuratissima exemplar propositum non exprimitur; *πᾶσι μὲν τοῖς ἀρχετύποις αὐτοφυής τις ἐπιπρέπει χάρις καὶ ὥρα· τοῖς δ' ἀπὸ τούτων κατεσκευασμένοις, κἂν ἐπ' ἄκρον μιμήσεως ἔλθωσι, πρόσεστιν ὅμως τὸ ἐπιτετηδευμένον καὶ οὐκ ἐκ φύσεως ὑπάρχον. καὶ τούτῳ τῷ παραγγέλματι οὐ ῥήτορες μόνον ῥήτορας διακρίνουσιν, ἀλλὰ καὶ ζωγράφοι τὰ Ἀπελλοῦ καὶ τῶν ἐκεῖνον μιμησαμένων καὶ πλάσται τὰ Πολυκλείτου καὶ γλυφεῖς τὰ Φειδίου* (certe sua in arte principes notantur, cf. Cic. or. 3 sqq.).

Dion. de Thuc. hist. 4 p. 816 sq.: scriptores etiam rudis artis homo iuste aestimet. *οὐδὲ γὰρ τὰς Ἀπελλοῦ καὶ Ζεύξιδος καὶ Πρωτογένους καὶ τῶν ἄλλων γραφέων τῶν διωνομασμένων τέχνας οἱ μὴ τὰς αὐτὰς ἔχοντες ἐκείνοις ἀρετὰς κρίνειν κεκώλυνται· οὐδὲ τὰ Φειδίου καὶ Πολυκλείτου καὶ Μύρωνος ἔργα οἱ μὴ τηλικοῦτοι δημιουργοί.* multarum rerum non peior artifice iudex est rudis.[1])

Dion. de adm. vi dic. Dem. 50 p. 1108: concinnitatis Demosthenicae optimum *κριτήριον ἡ ἄλογος αἴσθησις· δεῖ δ' αὐτῇ τριβῆς πολλῆς καὶ κατηχήσεως χρονίου· οὐ γὰρ δὴ πλάσται μὲν καὶ ζωγράφων παῖδες εἰ μὴ πολλὴν ἐμπειρίαν λάβοιεν χρόνῳ τρίψαντες τὰς ὁράσεις μακρῷ*

ἰσχνότης, ἡ δὲ τῶν μετὰ ταῦτα ἑρμηνεία τοῖς Φειδίου ἔργοις ἤδη ἔοικεν ἔχουσά τι καὶ μεγαλεῖον καὶ ἀκριβὲς ἅμα. cf. Dio Chrysost. or. 56 p. 403 R.

[1]) cf. Symmach. epist. I 23: ‚et Phidiae Olympium Iovem et Myronis buculam et Polycliti canephoras rudis eius artis hominum pars magna mirata est.'

περὶ τὰς τῶν ἀρχαίων δημιουργῶν τέχνας, οὐκ ἂν εὐπετῶς αὐτὰς διαγνοῖεν, καὶ οὐκ ἂν ἔχοιεν εἰπεῖν βεβαίως ὅτι μὴ φήμῃ παραλαβόντες· τουτὶ μέν ἐστι Πολυκλείτου τὸ ἔργον, τουτὶ δὲ Φειδίου, τουτὶ δ' Ἀλκαμένους· καὶ τῶν γραφῶν Πολυγνώτου μὲν αὕτη, Τιμάνθους δ' ἐκείνη, αὕτη δὲ Παρρασίου. item in oratorum censura opus est iudicio multum diuque probato.

Demetr. *π. ἑρμ.* c. 13 (de periodis): *ἔοικε γοῦν τὰ μὲν περιοδικὰ κῶλα τοῖς λίθοις τοῖς ἀντερείδουσι τὰς περιφερεῖς στέγας καὶ συνέχουσι, τὰ δὲ τῆς διαλελυμένης ἑρμηνείας διερριμμένοις πλησίον λίθοις μόνον καὶ οὐ συγκειμένοις*; iam sequuntur, quae loco Dion. de Isocr. 3 subiecimus.[1])

Demetr. *π. ἑρμ.* c. 33 (de periodis): *συμβέβηκε τῷ ἐνθυμήματι καὶ περιόδῳ εἶναι, διότι περιοδικῶς σύγκειται, περίοδος δ' οὐκ ἔστιν, ὥσπερ τῷ οἰκοδομουμένῳ συμβέβηκε μὲν καὶ λευκῷ εἶναι, ἂν λευκὸν ᾖ, τὸ οἰκοδομούμενον δ' οὐκ ἔστι λευκόν.*

Demetr. *π. ἑρμ.* c. 76: *καὶ δεινούς τινάς φασιν, ὥσπερ καὶ Θεόπομπον δεινὰ οὐ δεινῶς λέγοντα.*[2]) *Νικίας δ' ὁ ζωγράφος καὶ τοῦτο εὐθὺς ἔλεγεν εἶναι τῆς γραφικῆς τέχνης οὐ μικρὸν μέρος τὸ λαβόντα ὕλην εὐμεγέθη γράφειν, καὶ μὴ κατακερματίζειν τὴν τέχνην εἰς μικρά, οἷον ὀρνίθια ἢ ἄνθη, ἀλλ' ἱππομαχίας καὶ ναυμαχίας, ἔνθα πολλὰ μὲν σχήματα δείξειεν ἄν τις ἵππων τῶν μὲν θεόντων, τῶν δὲ ἀνθισταμένων ὀρθῶν* sqq. (depingitur equestre proelium). *ᾤετο γὰρ καὶ τὴν ὑπόθεσιν αὐτὴν μέρος εἶναι τῆς ζωγραφικῆς τέχνης, ὥσπερ τοὺς μύθους τῶν ποιητῶν.* iam sequitur: *οὐδὲν ἂν θαυμαστόν, εἰ καὶ ἐν τοῖς λόγοις [καὶ] ἐκ πραγμάτων (μεγάλων?) μεγαλοπρέπεια γίνεται.*

---

[1]) cf. Dion. de comp. 22; Quint. VIII 5, 27: ‚soluta fere oratio et e singulis non membris, sed frustis conlata structura caret, cum illa rotunda et undique circumcisa insistere invicem nequeant'; Ps. Long. *π. ὕψ.* 41 p. 64 (de compositione): *ὁμοίως δὲ ἀμεγέθη καὶ τὰ λίαν συγκείμενα καὶ εἰς μικρὰ καὶ βραχυσύλλαβα συγκεκομμένα καὶ ὡσανεὶ γόμφοις τισὶν ἐπαλλήλοις κατ' ἐγκοπὰς καὶ σκληρότητας ἐπισυνδεδεμένα.*

[2]) cf. Ps. Long. *π. ὕψ.* 43 p. 65, ubi idem de Theopompo iudicium legitur.

Ps. Long. π. ὕψ. 17 p. 38: *σχήματα* ne manifesta prodant fraudem, obscuranda sunt ipsa sublimitate. *σχεδὸν γὰρ ὥσπερ καὶ τἀμυδρὰ φέγγη ἐναφανίζεται τῷ ἡλίῳ περιαυγούμενα, οὕτω τὰ τῆς ῥητορικῆς σοφίσματα ἐξαμαυροῖ περιχυθὲν πάντοθεν τὸ μέγεθος· οὐ πόρρω δ' ἴσως τούτου καὶ ἐπὶ τῆς ζωγραφίας τι συμβαίνει· ἐπὶ γὰρ τοῦ αὐτοῦ κειμένων ἐπιπέδου παραλλήλων ἐν χρώμασι τῆς σκιᾶς τε καὶ τοῦ φωτός, ὅμως προυπαντᾷ τε τὸ φῶς ταῖς ὄψεσι καὶ οὐ μόνον ἔξοχον, ἀλλὰ καὶ ἐγγυτέρω παρὰ πολὺ φαίνεται. οὐκοῦν καὶ τῶν λόγων τὰ πάθη καὶ τὰ ὕψη ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ἐγγυτέρω κείμενα διά τε φυσικήν τινα συγγένειαν καὶ διὰ λαμπρότητα, ἀεὶ τῶν σχημάτων προεμφανίζεται καὶ τὴν τέχνην αὐτῶν ἐπισκιάζει καὶ οἷον ἐν καταλήψει τηρεῖ.*

Ps. Long. π. ὕψ. 30 p. 48: *ἡ τῶν κυρίων καὶ μεγαλοπρεπῶν ὀνομάτων ἐκλογὴ θαυμαστῶς ἄγει καὶ κατακηλεῖ τοὺς ἀκούοντας . . . . μέγεθος ἅμα κάλλος εὐπίνειαν βάρος ἰσχὺν κράτος, ἔτι δὲ τἆλλα . . . . τοῖς λόγοις ὥσπερ ἀγάλμασι καλλίστοις δι' αὑτῆς ἐπανθεῖν παρασκευάζουσα καὶ οἱονεὶ ψυχήν τινα τοῖς πράγμασι φωνητικὴν ἐντιθεῖσα . . . . φῶς γὰρ τῷ ὄντι ἴδιον τοῦ νοῦ τὰ καλὰ ὀνόματα.*

Ps. Long. π. ὕψ. 36 p. 59: *πρὸς μέντοι γε τὸν γράφοντα* (Caecilium intellego cum multis aliis [1]), *ὡς ὁ κολοσσὸς ὁ ἡμαρτημένος οὐ κρείττων ἢ ὁ Πολυκλείτου δορυφόρος, παράκειται πρὸς πολλοῖς εἰπεῖν, ὅτι ἐπὶ μὲν τῆς τέχνης θαυμάζεται τὸ ἀκριβέστατον, ἐπὶ δὲ τῶν φυσικῶν ἔργων τὸ μέγεθος, φύσει δὲ λογικὸν ὁ ἄνθρωπος. κἀπὶ μὲν ἀνδριάντων ζητεῖται τὸ ὅμοιον ἀνθρώπῳ, ἐπὶ δὲ τοῦ λόγου τὸ ὑπεραῖρον, ὡς ἔφην, τὰ ἀνθρώπινα.*

Qui nunc sequuntur scriptores, idem comparandi studium etiam per totum saeculum primum viguisse, dein magis magisque defloruisse docent; longe inter omnes excellit unus Quintilianus, ex quo cum decades illae artificum desumptae sint, omnes, qui mihi occurrerunt, locos excerptos proferam:

---

[1]) Weiske ad loc.; Blass, GB 192 n. 1; Martens diss. s. c. p. 12 sq., qui etiam Ottonis Jahnii auctoritatem (Herm. vol. II p. 239) citat.

II 1, 12 (progymnasmata): qui narrationem, laudem et vituperationem, thesin, communes locos ad instituendum oratorem opus esse negabit, is ne statuam quidem incohari credet, cum eius membra fundentur.

II 3, 6: protinus optimo praeceptore esse utendum, cum qui in maioribus emineat, eum illa minora non deficiant, ,nisi forte Iovem quidem Phidias optime fecit, illa autem, quae in ornamentum operis eius accedunt, alius melius elaborasset' (cf. ad Cic. de or. II 69 sq.).

II 13, 8 sqq: res duas in omni actu spectet orator, quid deceat et quid expediat. huic *περὶ τοῦ πρέποντος* doctrinae Quintilianus accuratissimam de statuis et picturis disputationem comparandi gratia inseruit exemplaque attulit Myronis discobolum, Apellis Antigonum, Timanthis Iphigeniam. cf. ad Cic. or. 73.

II 17, 3: rhetoricam maiore iure artem esse, quam fabricandi texendi e luto vasa ducendi artes.

II 17, 21: ,orator, cum falso utitur pro vero, scit esse falsum . . . . ut pictor, cum vi artis suae efficit, ut quaedam eminere in opere, quaedam recessisse credamus, ipse ea plana esse non nescit'.

II 19, 3: consummatos oratores plus doctrinae debere, quam naturae: at sola natura aliquid fingi posse, non sola arte. ,si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset exsculpere, Parium marmor vellem rude; at si illud idem artifex expolisset, plus in manibus fuisset, quam in marmore.'

II 21, 8 sqq : ,materia rhetorices neque infinita est, etiamsi est multiplex, et aliae quoque artes minores habent multiplicem materiam, velut architectonice . . . . caelatura . . . . scalptura.'

II 21, 24: instrumentum non ab arte rhetorica, sed ab artifice requiri. ,neque enim scientia desiderat instrumentum, quae potest esse consummata, etiamsi nihil faciat, sed ille artifex, ut caelator caelum et pictor penicilla.'[1])

---

[1]) hucusque ex solo altero Quintiliani libro exempla protuli, ceteri libri pauca suppeditant; quare non videtur audacis esse conicere in hoc libro conscribendo Quintiliano singularem eumque Graecum (de progymnasmatis rhetoricis) fontem praesto fuisse, ex quo illas notas hauserit.

V 12, 21 (de usu argumentorum: de confirmatione) declamatio viribus gravitate sanctitate caret; eloquentia illa est libidinosa; ,ne minimum quidem in se indicium masculi et incorrupti, ne dicam gravis et sancti viri ostendit. an vero statuarum artifices pictoresque clarissimi, cum corpora quam speciosissima fingendo pingendoque efficere cuperent, nunquam in hunc inciderunt errorem, ut Bagoam aut Megabyzum aliquem in exemplum operis sumerent sibi, sed Doryphorum illum aptum vel militiae vel palaestrae, aliorum quoque iuvenum bellicosorum et athletarum corpora decora vere existimaverunt: nos, qui oratorem studemus effingere, non arma, sed tympana eloquentiae demus?'

VIII 5, 25 sqq.: sententiarum (γνωμῶν) in oratione usus ne sit immodicus, picturae exemplo inlustratur: ,pictura, in qua nihil circumlitum est, non eminet. ideoque artifices etiam, cum plura in unam tabulam opera contulerunt, spatiis distinguunt, ne umbrae in corpora cadant.' simili modo nimis soluta ac nimis concisa oratio offendit (cf. ad Demetr. π. ἑρμ. 13). quod nimis lucet, dedecet, velut lumen adfert clavus purpurae in loco insertus, neminem deceat intertexta pluribus notis vestis (Demetr. 108; Lucian. πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν 15, 23). ,quare licet haec et nitere et aliquatenus exstare videantur, tamen et lumina illa non flammae, sed scintillis inter fumum emicantibus similia dixeris (quae ne apparent quidem, ubi tota lucet oratio, ut in sole sidera ipsa desinunt cerni [Ps. Long. π. ὕψ. 17 p. 38]) et quae crebris parvisque conatibus se attollunt, inaequalia tantum et velut confragosa nec admirationem consequuntur eminentium et planorum gratiam perdunt.' nec qui solas captat sententias, multas non dicet leves frigidas ineptas . . . . . ex altera parte ne sententiarum usus reformidetur, cum qui timeant, ne aliquando cadant, semper iaceant. lumina orationis velut oculi quidam sunt orationis, quos nec toto corpore esse velis nec deficere. patet media via, sicut in

cultu victuque accessit aliquis citra reprehensionem nitor.

VIII 6, 63 et IX 4, 27 inter se aliquatenus congruunt; agitur de compositione: hyperbata interdum necessaria, ut in structuris lapides impoliti et rudes quo quisque loco convenit coagmentantur. cf. ad Dion. de comp. 22 p. 148.

X 2, 2 (de imitatione): omnis vitae ratio sic constat, ut quae probamus in aliis facere ipsi velimus. sic litterarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur, sic musici vocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur, omnis denique disciplinae initia ad propositum sibi praescriptum formari videmus.

X 2, 6 sq. (de imitatione): exempla non solum adsequi, sed superare studendum est .... quemadmodum quidam pictores in id solum student, ut describere tabulis mensuris ac liniis sciant. quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur? nihil in poetis supra Livium Andronicum, nihil in historicis supra pontificum annales haberemus; ratibus adhuc navigaremus: non esset pictura, nisi quae linias extremas umbrae, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet.

XI 3, 46 (de voce): *μονοτονία* est vitanda voxque varianda, ut qui singulis pinxerunt coloribus alia tamen eminentiora alia reductiora fecerunt, sine quo ne membris quidem suas linias dedissent.

XI 3, 67 (de gestu): nec mirum, si ista, quae tamen in aliquo posita sunt motu, tantum in animis valent, cum pictura, tacens opus et habitus semper eiusdem, sic in intimos penetret adfectus, ut ipsam vim dicendi nonnunquam superare videatur.

XII 10, 1 sqq.: ars et artifex plurimum invicem differunt; nec solum specie ut signum signo et tabula tabulae et actio actioni, sed genere ipso, ut Graecis Tuscanicae statuae, ut Asianus eloquens Attico — non una omnibus placuit forma (sequuntur artificum decades; quibus adlatis Latinos oratores comparat Quintili-

anus,[1]) Graecos Quintiliani auctor nescio quis (XII 10, 20 sqq.).

Ex ceteris scriptoribus, quorum scripta ad hanc quaestionem accuratius tractandam conferenda sunt, Latinos, in quos forte incidi, laudo Tacitum (dial. c. 20 fin. et c. 22 med.), Plinium (ep. I 20. II 5. III 13), Frontonem (ad Ver. I 1 p. 113 sq. ad Marcum Caesarem II 3 p. 28 Nab.), Graecos in primis Lucianum, praeterea Dionem Chrysostomum, Hermogenem, Philostratum, Gregorium Naz., Themistium, Theonem prog.,[2]) Nicolaum soph. prog., Syrianum.

Quodsi locorum tabulam propositam inspicimus, miramur profecto, quantos crisis progressus fecerit, quam in talibus comparationibus versari animadvertimus, quales apud huius aetatis scriptores raro[3]) deprehendas. ne tamen per totam antiquitatem illud comparandi studium viguisse credas. Aristoteles quidem in poetis aestimandis artificum virtutes in comparationem vocavit (cf. e. g. poet. c. 2. 6; polit. VIII 5, 7), quamquam aliam secutus est rationem atque rhetores (cf. Blass, GB 223). primus vero quod sciam oratorem cum artifice comparavit Philonicus dialecticus Sicyonius, cuius iudicium, cum solum Isocratem tum temporis ab philosophis omni modo carptum spectaret eiusque elocutionem uno eodemque tenore procedentem exagitaret, satis commune ac vulgare est, at vero idem hac re notabile, quod a viro Sicyonio profectum est; etenim docemur, id quod per se veri est simillimum, eiusmodi comparationes locis, ubi ars summopere floruerit, fuisse in promptu. Philonici solitarium iudicium longo temporis intervallo interiecto exceperunt crebrae comparationes per totum saeculum primum ante Christum et per idem temporis spatium post Christum institutae. atque primae quidem inveniuntur apud

---

[1]) XII 10, 10: ‚Laelii, Africani, Catones etiam Gracchique, quos tu licet Polygnotos vel Callonas appelles' . . . 12: ‚M. Tullium non illum habemus Euphranorem circa plurium artium species praestantem, sed in omnibus, quae in quoque (oratore) laudantur, eminentissimum.'

[2]) v. g. I p. 62 Sp.: eloquentiae studiosum oportet non solum imitari veteres, sed ipsum cotidie scribere, *ὥσπερ τοῖς ζωγραφεῖν βουλομένοις οὐδὲν ὄφελος κατανοεῖν τά τε Ἀπελλοῦ καὶ Πρωτογένους καὶ Ἀντιφίλου ἔργα, ἐὰν μὴ καὶ αὐτοὶ γράφειν ἐπιχειρῶσιν.*

[3]) ut in Reifferscheidii oratione saepius citata p. 6 sq. artis Pergamenae et eloquentiae Asianae similitudines indicatae sunt.

Cornificium[1]) et Ciceronem de inv., quod cum satis sit documenti iam ante 100 a. Ch. illa studia percrebruisse, confirmatur etiam Lucilii auctoritate, qui ab a. 148 usque ad a. 103 vitam agens inter alios scriptores etiam oratores percensuit eumque ad finem artis opera comparavit. eodem perducimur alia quoque ratiocinatione instituta; bene enim L. Urlichs[2]) perspexit Plinii verba n. h. XXXV 73: ‚Iphigenia (Timanthis) oratorum laudibus celebrata' ex Pasitele translata esse, ubi cum *ῥητόρων* legeretur, falso vertit aut Plinius aut Plinii auctor Latinus; revera Timanthis opus a rhetoribus libentissime et saepissime in comparationem adhibitum est (Cic. or. 74; Brut. 70; Quint. II 13, 13; cf. Val. Max. VIII 11, 6) ita quidem, ut vel pictoris nomen Cicero (or. 74) ut in re notissima reticuerit; quae cum ita sint, iam ante Pasitelis et Ciceronis aetatem fuerunt rhetores, qui cum artificum operibus dicendi praecepta componerent.[3]) rursus dubitari nequit, quin ante eloquentiae studium renatum tales comparationes nisi occasione forte oblata (ut in Philonico vidimus) factae non sint, cum Asiani veteres rhetoricen ipsam per se neglegerent, nedum ad eam inlustrandam artificum opera et scripta inspicerent, ante Aristotelis et Theophrasti aetatem nulli erant artis historiae ac legum scriptores, quos rhetores in suum usum converterent. restat igitur tempus, quo facta est *ἀνανέωσις ἁπάσης παιδείας* h. e. medium a. Ch. saeculum alterum.

Iam quae Sicyonii (Xenocrates, Menaechmus), Pergameni (Antigonus, Artemo), alii (Adaeus Mytilenaeus, Polemo Iliensis), ut in artis historiam leges genera[4]) inquirerent et artificum veterum praestantiam aestimarent ordinesque constituerent, contulerant, ea tum excerpta sunt a rhetoribus[5]) artis non ignaris atque adeo studiosis, ut ad praecepta rhetorica explananda oratorumque artem, genera dicendi, historiam dignitatem diligentius

---

[1]) natus est Cornificius c. 133, rhetorica ad Her. edita videntur 85; cf. Bochmann, de Cornificii .... rerum Romanarum scientia, Zwiccav. 1875.

[2]) die Quellenregister zu Plinius letzten Büchern, Würzburg 1878 p. 15.

[3]) rhetorem Ciceronis auctorem fuisse ipse docet § 72, eundem Asianis infestum doctrina, de qua agit, fidem facit.

[4]) Plin. XXXIV 66; Cic. de or. III 26; de opt. gen. or. 6.

[5]) hoc aperte indicant Cic. or. 72. 73 sq.; Demetr. *π. ἑρμ.* 76 (cf. Bertrand p. 79); Ps. Long. *π. ὕψ.* 17 p. 38 (Bertrand p. 65), multisque ex locis, quibus subtilissima artificum iudicia leguntur, facile perspicitur.

describenda iudicia illa usurparent.[1]) eum enim illarum comparationum finem fuisse nemo non videt; quae cum plerumque praecepta rhetorica de verborum compositione numeris figuris, de decoro, de imitatione actione memoria spectarent, qualia antiquiore aetate nondum aut perfecta aut inventa erant, eo maiore probabilitate post 150 a. Ch. referuntur (cf. p. 33 sq.).

Haec habuimus, quae de tempore et consilio illarum comparationum dissereremus; quibus nixi nunc de auctoribus quaeremus. vix videtur monendum esse a Graecis id studium esse commotum; id quidem Dionysii Demetrii Ps. Longini neque minus Romanorum nomina docent, quos his in rebus Graecorum sectatores fuisse constat.[2]) aeque consentaneum est, inventum et promotum esse illud studium, ubi eloquentia una cum pictura sculpturaque floruerint. ergo Alexandria prorsus est excipienda (cf. p. 13—15; 72); de alio praeter Rhodum aut Pergamum loco vix quisquam cogitaverit; Rhodi vero ut fuerit ea aetate copia et facultas illarum artium, nulla iusta ratione inducimur, ut illic hanc criseos perfectionem exstitisse coniciamus. relinquitur Pergamus, quo apertissima vestigia nos deducunt. nam Pergamenos illa, de qua agitur, aetate dicendi artem summopere excoluisse et criticam operam in oratores contulisse vidimus iidemque cognitum habemus artis pingendi fingendique eos praestantissimos habuisse auctores, acutissimos iudices, scriptores celebratissimos. itaque quod Sicyone philosophum, idem Pergami rhetores fecisse in promptu est conicere, praesertim cum argutissimae, quas saepius reperimus, similitudines artificum libros esse usurpatos prodant. at scimus insuper philologos Pergamenos cum ad multa alia, tum etiam ad artificiorum studium incubuisse itaque philologiae latissimum

[1]) ex Sen. rhet. contr. X 5; exc. contr. VIII 2 cognoscimus totas controversias ex artificum historia desumptas esse; X 5, 8 cf. cum Cic. or. 8. — huic artificiorum studio mirum in modum sermo terminis technicis ex pictura sculptura architectura desumptis distinctus respondet, qualem reperimus in Ciceronis potissimum et Dionysii scriptis rhetoricis.

[2]) cf. O. Jahn, die hellen. Kunst, Gryph. 1846 p. 26 sqq.; B.d.s.G.d.W. II 1850 p. 127 sqq.; ad Cic. orat. p. XXVI: ‚die wiederholte Beziehung auf die Werke der bildenden Kunst, die zur Vergleichung angefuehrt werden — eine Betrachtungsweise, die den Roemern urspruenglich fremd war und erst um diese Zeit durch Griechen Einfluss und Eingang fand;' cf. ad § 5; C. F. Hermann, ueber die Studien der griech. Kuenstler p. 17. 56 n. 96; adiungo Ciceronis testimonium, quod in orat. § 36 sq. legitur (‚ut in Graecis').

ambitum comprehendisse, velut Antigonum, Artemonem, Carystium Sotadis filium, Asclepiadem Myrleanum, Alexandrum Polyhistorem, Polemonem.[1]) ipse Crates notissimam hanc tradidit definitionem *ἐοικέναι τὸν μὲν κριτικὸν ἀρχιτέκτονι, τὸν δὲ γραμματικὸν ὑπηρέτῃ*, et quod Neoptolemus Parianus, quem ob viciniam urbium Pergami studiis operam dedisse crediderim, in libro de arte poetica poesin cum pictura accurate comparavit (Hor. a. p. 1 sqq.; Porphyr. ad loc.), id Pergamenorum ratione factum esse puto.[2]) utut res se habet, a Pergamenis minime erat alienum, eloquentiam cum artibus mutis comparare. — sequitur, ut, quo dilucidius res perspiciatur, apud quos potissimum scriptores comparationes illae legantur, contemplemur. atque apud Romanos prima illius studii vestigia inveniuntur; iam vero notum est Romanos pendere a Pergamenis, quorum exemplaria quantam vim habuerint ad artes litterasque Romanas conformandas ac describendas, satis elucubratum est;[3]) neque artis historiae scriptores artificumque iudices ipsi per se Romani facti sunt, immo hunc ad finem eorundem Pergamenorum potissimum proximos fontes adierunt. Antigonum quidem artis historiae scriptorem celeberrimum aut per Varronem et Nepotem aut per Pasitelem a Varrone expressum Romanis ipsique Plinio innotuisse idoneis argumentis est comprobatum; Lucilius quos alios criseos illius auctores secutus sit praeter Pergamenos in his studiis versatissimos et Lucilii aetate fere solos Romae imitatione expressos, non video. ex comparationum vero indole praeter antiquissimos veteres eosque classicos artifices ab Romanorum auctoribus adhibitos esse elucet, id quod et ipsum Pergamum nos amandat. inter Graecos vero Dionysius Hal. longe excellit, qui in scholis Asianis eruditus illinc Romam idem studium transtulit; Demetrius, quem etiam ob comparationes cum artis operibus et artificibus factas Dionysio aequalem fuisse censeo, unde originem studiorumque elementa et progressus duxerit, nescimus; Caecilius vero, quem Ps. Longinus

---

[1]) si quidem iure Pergamenis accensetur. certe et in vicinitate Pergami natus est et scripsit ad Attalum II.

[2]) cf. etiam Cornif. IV 28, 39, qui hoc habet ‚commutationis‘ figurae exemplum: ‚poëma loquens pictura, pictura tacitum poëma debet esse‘, quod exemplum ex Graeco *π. σχημάτων* libro desumptum esse facile suspicor.

[3]) Brunn, GgK I 458 sq. 504; Reifferscheid, orat. s. l. p. 5 sqq.; Wilamowitz, Antig. p. 163.

adhibuit, ab Apollodoro magistro etiam hanc studiorum Pergamenorum rationem videtur recepisse.

Restat, ut ipsarum comparationum indolem paucis inlustremus. quas si quis perlegerit, multas iis ipsis, qui eas protulerunt, iure vindicabit, alias easque subtilissimas ex superiorum libris desumptas esse facile concedet. Pergamenam doctrinam pleraeque redolent. namque aliis in comparationibus philologica[1]), in aliis historica[2]) Pergamenorum studia recognoscuntur; quod de arte artisque opificibus ex dignitate et praestantia iudicia fiunt, quod ,eclectica' ratio (Brunn, GgK I p. 458) ubique viget[3]), quod vel veterrimorum artificum comparandi gratia mentio iniecta est[4]), Pergamenorum eruditionem studiorumque rationem expressam esse commode cernimus. iam conferamus illas artificum decades, quarum causa has suscepimus quaestiones. eadem omnia hic et illic redeunt (cf. p. 69 sqq.); unum reservavimus, quod accuratius hic perlustrare in animo erat. namque non a Quintiliano primo artificum decades ad aestimandos oratores Romanos comparatae sunt, sed iam ante Quintilianum a rhetore Graeco, ut Graecos oratores cum artificibus contenderet; nam XII 10, 20 sqq. oratorum Graecorum sequitur recensus ab oratorum decade non ita diversus hic: ,(21) mihi falli videntur, qui solos esse Atticos credunt tenues et lucidos et significantes et quadam eloquentiae frugalitate contentos ac semper manum intra pallium

---

[1]) cf. Cic. Brut. 66 sqq., ubi media in comparatione haec ponuntur verba: ,nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poetae, quod ex iis carminibus intellegi potest, quae apud illum et in Phaeacum et in procorum epulis canuntur.' praeterea si recte Blass, AB II 188 accuratae comparationis, quae apud Dion. de Isocr. 3 legitur, originem ad Isocratis or. de antid. 2 refert, rhetorem quendam artificiorum peritissimum eundemque in oratoribus Atticis versatum auctorem fuisse liquet; quem Pergamenum fuisse nihil obstat, quominus statuamus, cum Dionysius ipse iudicii auctor vix fuerit (cf. de adm. vi dic. Dem. 50 p. 1108), idem aeque atque Caecilius Pergamenorum eruditionem hausisse videatur; simile iudicium est apud Quint. XII 10, 9, quod cum decadibus ipsis Pergamenis est attribuendum.

[2]) siquidem artifices et scriptores ad temporum rationem inter se compositos esse vides.

[3]) cf. e. g. Cic. de inv. II 1 sqq.; Dion. H. vett. cens. p. 417.

[4]) ut Calamidis Canachi Callimachi — Aglaophontis Polygnoti aliorum ἀρχαίων γραφῶν auctorum (Dion. p. 591; cf. ad Cic. de or. III 98 sqq.; Brut. 66 sqq.)

continentes. nam quis erit hic Atticus? sit Lysias; hunc enim amplectuntur amatores istius nominis modum. non igitur iam usque ad Coccum et Andocidem remittemur. (22) interrogare tamen velim, an Isocrates Attice dixerit. nihil enim tam est Lysiae diversum. negabunt. at eius schola principes oratorum dedit. quaeratur similius aliquid. Hyperides Atticus? certe. at plus indulsit voluptati. transeo plurimos, Lycurgum Aristogitona et his priores Isaeum Antiphontem; quos ut homines inter se genere similes differentes dixeris specie. (23). quid . . . . . Aeschines? nonne his latior et audentior et excelsior? quid denique Demosthenes? non cunctos illos tenues et circumspectos vi sublimitate impetu cultu compositione superavit? sqq.' ubi vero illa comparatio instituta est? non dubito ad Pergamum eam ipsam referre, quo similes comparationes iure referri vidimus. quando nata sit, certo definiri nequit. probabile vero videtur antea comparationem illam esse institutam, quam pauciores ex decadibus artifices et oratores selecti et inter se comparati sint, ita ut ceterarum quasi exemplum fuerit, ad quod respicerent. similiter Ciceronis et Dionysii oratorum ordines minores ad oratorum decadem spectasse supra adnotavimus. minores autem quam apud Quintilianum artificum ordines, qui huc apprime faciunt, proponuntur a Cicerone de or. III 25 sqq. et or. 5 sqq. et a Dionysio de Thuc. hist. 4. atque Cicero de or. 25 sqq. non unum artis exercendae exemplar esse dixit, sed, quos in artificum decadibus laudatos vides, pari laude celebrandos Myronem Polyclitum Lysippum statuarios, Zeuxin Aglaophontem Apellem pictores. Dionysius vero l. l. Apellis Zeuxidis Protogenis *καὶ τῶν ἄλλων γραφέων τῶν διωνομασμένων τέχνας* et Phidiae Polycliti Myronis *ἔργα* non deterius iudicare rudes artis homines quam eruditos professus est. etiam minorem numerum artificum quos primas tenere critici censebant, Cicero or. 5 sqq. ex Graeco auctore sine dubio sua decerpens (p. 41 n. 1) tradidit, apud quem cum Phidias (cf. or. 8; Brut. 228. 257; Dion. de Din. 7) et Polyclitus (Plin. n. h. XXXIV 55; Cic. Brut. 296; Dion. l. l.; Caecil. ap. Ps. Long. *π. ὕψ.* 36 p. 59; Quint. V 12, 21), Protogenes (Plin. n. h. XXXV 106; Cic. Brut. 70; ad Att. II 21, 4) et Apelles (Cic. Brut. et ad Att. l. l., Dion. l. l.) summi suae artis principes praedicentur, nec Sicyonios nec Rhodios huius iudicii auctores fuisse censuerim, a quibus Lysippus non esset neglectus, sed Pergamenos, qui neque unum omnibus ex

partibus perfectum principem iudicarent, quamquam Phidiam et Apellem prae ceteris videntur laudasse, neque Lysippum, id quod saepissime factum est, ceteris praeferrent antiquioribus. reliquos rhetorum locos, quos in hoc epimetro conlegi, si percensueris, idem consequetur: ex statuariis Polycliti et Phidiae saepissime in comparationibus mentio fit, rarius Myronis, rarissime Praxitelis Lysippi Calamidis Canachi Callimachi Alcamenis; ex pictoribus saepissime Apellis, rarius Protogenis Zeuxidis Timanthis Polygnoti, rarissime Aglaophontis Aëtionis Nicomachi Parrhasii Antiphili. quos rhetores omnes statuariorum illum canonem in mente habuisse inde certo conligitur, quod nusquam Scopas cum oratoribus componitur.

Vita

Natus sum Iulius Brzoska a. d. III Kal. Febr. a. h. s. LIX in oppido Ujest Silesiae superioris Iosepho Brzoska Maria Klitta parentibus, quos acerbo fato mihi ereptos valde lugeo. fidei addictus sum catholicae. litterarum primordiis in ludo publico urbis patriae institutus a. LXIX gymnasium Magno-Strehlitziense adii, quod vir inl. Albertus Proske tum regebat. inde ab a. LXXIII gymnasium Vratislaviense ad aedem St. Matthiae situm frequentavi, quod Reisackeri praeceptoris dilectissimi nuper defuncti optimis auspiciis florebat. cum maturitatis testimonio a. LXXVI dimissus hanc almam petii matrem Viadrinam, cuius inter cives a viro inl. Martino Hertz, penes quem tum fasces erant, receptus adsidue studiis praecipue philologicis operam dedi; nisi quod hunc ultimum annum paene totum in munere praeceptoris domestici consumpsi. scholis interfui virorum clarissimorum Dilthey Groeber Hertz Junkmann Kaibel Ludwich Neumann Partsch Reifferscheid Rossbach Stenzler Weber Weinhold. Hertzii Reifferscheidii Rossbachii benevolentia in seminarium regium philologicum receptus sum, cuius per bis senos menses sodalis fui et extraordinarius et ordinarius, per unum semestre seminarii ordinarii senior. exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt archaeologicis Rossbach, philosophis Weber, philologicis Ludwich et Kaibel. quos viros omnes grata semper colam memoria, in primis vero Augustum Reifferscheid, cui gratias eo dignas agere me posse despero.

Sententiae controversae

I. In tabula Bodleiana (Cramer, Anecd. Graec. Paris. IV p. 195) hic traditur oratorum ordo: *Ἰσοκράτης Δημοσθένης Αἰσχίνης Ὑπερείδης Ἀντιφῶν Ἀνδοκίδης Δείναρχος Λυκοῦργος* καὶ *Λυσίας*. pro vocabulo *καὶ* restituendum est *Ἰσαῖος*.

II. Caecilium Calactinum Dionysio Halicarnasensi aetate antecessisse perperam contendit Ioh. Mueller, de fig. quaest. crit. I, diss. Gryph. 1880 p. 6 n. 5.

III. Dion. H. de Thuc. hist. c. 4 p. 817 R. scripsisse videtur ‚*πολλῶν ἔργων οὐχ ἧττων τοῦ τεχνίτου κριτὴς ὁ ἰδιώτης, τῶν γε δι' αἰσθήσεως κἀν τοῖς* (*codd.* *καὶ τοῖς*) *πάθεσι καταλαμβανομένων.*'

IV. Demetrius libri *περὶ ἑρμηνείας* scriptor aetati Augusti adsignandus est.

V. Apud Hermog. *π. ἰδ.* II p. 352 Sp. (= III p. 306 W.) sic legendum censeo: ‚*παρὰ δὲ αὖ τῷ Μενάνδρῳ μυρία ἂν εὕροις τοιαῦτα, καὶ γυναῖκας ληρούσας* (*codd.* *λέγουσας*) *καὶ νεανίσκους ἐρῶντας καὶ μαγείρους* ** (deest participium) *καὶ παρθένους θρυπτομένας καί τινας ἄλλους.*'.

VI. In vita Apollonii Rhodii p. 534, 24 ed. Merkel (Lips. 1854) verba ‚*καὶ σοφιστεύει ῥητορικοὺς λόγους*' interpolatori debentur, qui Apollonium grammaticum et Apollonium rhetorem Rhodios confudit.

VII. Cic. de inv. II 5, 16 scripsit: ‚nunc exponemus locos, quorum pars aliqua in omnem coniecturalem incidit constitutionem (*codd.* controversiam).

VIII. Apud Cic. de inv. II 50, 150: ‚locos autem communes in hoc genere argumentandi hos et huiusmodi quosdam esse arbitramur' vox ‚communes' delenda est.

IX. Apud Cic. or. 62, 210 verba ,ut in senatu de consulatu meo' subditicia esse iudico.

X. Apud Sen. contr. VII praef. 8 p. 297, 3 K. legas: ,cum volo, (dico); dico, quamdiu volo.'

XI. Sen. contr. IX 2 paragraphi 6—9 p. 402 sq. K. uni Albucio falso vindicantur; nomen rhetoris. cuius sententiam a § 7 verbis: ,in eodem triclinio' exordiri arbitror, interceptum est.

XII. Apud Sen. contr. IX 2, 7 verba tradita ita corrigenda sunt: ,in eodem triclinio video praetorem amatorem, scortum avidum caedis. et' sqq. (scorta vidisset] *A*; scorta cedis set] *BT*).

XIII. Apud Iul. Vict. (RLM ed. Halm) p. 446, 17 emendo: ,sine structura leviore' (*codd.* leniore, *Halm* laboriosiore).

XIV. Anthol. Lat. 408, 7 legatur:

,I nunc nec reges tantum fuge!'

XV. In Anthol. Lat. 389, 9 forsitan scribendum sit:
,Gurgite ab aequoreo surgunt ex more iugales'

Cervimontii
ex officina typographica ,Bote a. d. Riesengebirge'.